Quid eſt Narratio Fictilis? Qua narrantur res quidem fictæ, quæ tamen fieri potuiſſent, quales ſunt Narrationes Comicæ, vt Chremes, cognitâ Glycerio filiâ, eam Pamphilo dat: Philumenam verò Charino.

Quid. eſt Narratio fabuloſa? Qua narrantur res neque veræ, neque ſimiles, quales ſunt Narrationes Ouidianæ, & aliæ fictæ apud Poëtas, vt Angues alites ingentes iuncti iugo Medeam per aëra vexere.

Quid eſt Narratio Actiua? Qua introducuntur Perſonæ aliquid narrare ex affectu, hoc eſt, ex dolore, lætitia, odio, inuidia, & aliqua re ex optato impetrata: vt Dauus apud Ter. Dij boni, boni quid porto? Sed vbi inueniam Pamphilum, vt metum, in quo nunc eſt, ei adimam, & cætera, quæ ſequuntur.

Narratio, & maximè Ciuilis quot virtutes debet habere? Tres, vt ſit Dilucida, Breuis, & Veriſimilis.

Quare debet eſſe Dilucida? Vt Iudex faciliùs intelligat.

Qua-

Quare debet eſſe Breuis? Vt faciliùs memoriâ teneatur.

Quare debet eſſe Veriſimilis? Vt Iudex credat. Quoniam Narratio eſt quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei.

Quomodo fiet Narratio Dilucida? Si quod priùs geſtum erit, ita primùm exponetur, & rerum, ac temporum ordo ſeruabitur, vt geſtæ res erunt, ac potuiſſe geri videbũtur, & inprimis Elocutio ſit plana, & per rectum quoad eius fieri poteſt hoc modo:

Poſtquàm Pãphilus exceſſit ex Ephebis, vt ei liberiùs viuendi fuit poteſtas, cœpit cum his conuerſari, qui Chryſidem amabant, atque in Glycerij amore, quæ ſoror Chryſidis credebatur, captus eſt. Ter.

Quomodò fiet Breuis? Si vndè neceſsè erit initium ſumetur, & non ab vltimo repetatur: Si ſummatim, non particulatim narrabitur: hoc modo.

Bellum Troianum illatum eſt, poſtquàm ipſi Troiani auſi ſunt Helenam vi à Paride abreptam, Menelao per Legatos repetenti denegare.

Quomodo fiet Veriſimilis? Si, vt opinio ho-

minum,

minum,& rerum Natura poſtulat,dicemus: Si cauſæ factorum extabunt. Si faciendi facultates,ſi tempus idoneum, ſi locus opportunus ad rem agendam fuiſſe oſtendentur: hoc modo; Quidam iuuenis locuples nocturno tempore domo egreſſus, duas virgines ſtuprauit, quarum altera nuptias, altera verò illius necem ex lege petit.

Quot circumſtantias debet habere Narratio? Septem,Perſonam, Factū,Locum,Tempus, Modum,Cauſam,Facultates,quæ hoc verſiculo continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Poëticæ Narrationes ſequuntur'ne ſemper ordinem perſcriptum? Minimè; nam licet Poëtis, qui ad delectationem ſcribunt, & ſæpius leguntur,rerum ordinem mutare id, quod licet videre apud Homerum, & Virg. nam Homerus narraturus, & deſcripturus Bellum Troianum incœpit ab ira, Achillis.

Iram cane, Dea Muſa, Pelide Achillis.

Virgilius verò deſcripturus errores Aeneę incœpit à digreſſu Siciliæ.

Vix

Quot virtutes debet habere Diuiſio? Tres, Breuitatem, Abſolutionem, Paucitatem?

Quid eſt Breuitas? Quæ facit, vt nullum verbum, niſi neceſſarium aſſumatur.

Quid eſt Abſolutio? Per quam omnia, quæ incidunt in cauſam, per genera diſtribuit Orator.

Quid eſt Paucitas? Quæ facit, vt ſolùm genera rerum ponantur, neque permiſtè cùm partibus implicentur.

Quid eſt Genus Rhetoricè definiendo? Quod plures artes, ſiue ſpecies complectitur, vt Animal, ſub quo continentur omnes ſpecies animalium, vt Homo, Elephas, Bos Equus, Aſinus, &c.

Quid eſt Pars, ſiue Species? Quæ ſubeſt Generi, vt patet in exemplo præcedenti.

Da Exemplum vitioſæ Diuiſionis? Primùm dicam de cupiditate, deinceps de audacia, poſtremò de auaritia aduerſariorum, vnde hæc omnia incommoda ad Remp. peruenerunt.

Quare eſt vitioſa Diuiſio? Quia commiſcuit genus cum parte. Nam cupiditas eſt genus; Auaritia verò eſt pars.

De Conſtitutionibus, ſiuè Statibus iuxta ordinem Ciceronis ex priore libro Rhetoricorum de Inuentione.

QVid eſt Conſtitutio? Prima cauſarum conflictio ex depulſione intentionis profecta: hoc modo; Feciſti;non feci. Aut, iniuriâ feciſti. Iure feci,Aut hoc nomine criminis accuſandus es. Non ſum accuſandus tali nomine criminis.

Quid eſt Intentio? Facti, aut dicti obiectio, quod in reum intenditur.

Quid eſt Depulſio? Intentioni reſiſtens defenſio.

Quid naſcitur ex his duabus rebus in ſe concurrentibus? Conſtitutio, ſiue Status, eò quòd ibi ſtet omnis controuerſia.

Vnde naſcitur, & maximè cognoſc[illegible] tus? Ex depulſione defe[illegible] reus negat, exori[illegible] ralis, ſi aute[illegible] dicialis.

ſum appellandus, Definitiua Conſtitutio naſcitur.

Quot ſunt Conſtitutiones? Quatuor, Coniecturalis, Definitiua, Generalis, Trãslatiua.

Quid eſt Conſtitutio Coniecturalis? In qua negatur factum, quod obijcitur, & quæritur, an ſit factum V. g. Teucer accuſat Vlyſſem de nece Aiacis. Vlyſſes negat.

Quid eſt Definitiua Conſtitutio? Controuerſia, in qua agitur de nomine ipſius facti, & quid ſit, quæritur. E. g. Quidam furatus eſt calicem in domo alicuius, accuſatur Sacrilegij. Hic autem dicit, non eſſe Sacrilegium, ſed furtum; atque ita definiendum eſt, quid ſit furtum, quid Sacrilegium.

Quid eſt Generalis Conſtitutio? Controuerſia, in qua quæritur, quale ſit id, quod obijcitur, & reus fatetur: Sed quæſtio eſt, iure, an iniuriâ ſit factum? V.g. Oreſtes dicit, ſe iure Matrem interfeciſſe, quia illa patrem inter[illegible]. Aduerſarij negant, Matrem ind[illegible] oc[illegible]ortuiſſe à filio. [illegible]
[illegible]id [illegible] la[illegible] ſtitutio? Contro[illegible]e[illegible] [illegible]a [illegible] modo agendi, vt le[illegible] I[illegible] dę vero Creditore [illegible] de,

de vero Debitore, de legitimo tempore aliquid petendi, & huiuſcemodi rebus.

Conſtitutio Generalis in quot partes diuiditur? In duas Iuridicialem, & Negotialem.

Quid eſt Iuridicialis? In qua natura æqui, & recti: aut ratio pręmij, & pœnæ quæritur.

Quid eſt Negotialis? In qua quid Iuris ex ciuili more, & æquitate ſit, conſideratur, cui diligentiæ præſunt Iurisconſulti. Vel negotialis conſtitutio ex Trapezuntio eſt, in qua quæritur, Faciendum'ne ſit quidpiam, an non? Vt ſi deliberent Athenienſes: Deceat'ne Barbaros ſepelire, qui in Marathonijs campis ceciderunt, an non? Hæc conſtitutio ad Genus deliberatiuum ita videtur ſpectare, quemadmodùm Iuridicialis ad Iudiciale.

Iuridicialis in quot partes diuiditur? In duas, Abſolutam, & Aſſumptiuam.

Quid eſt Abſoluta Iudicialis conſtitutio? In qua reus nullam rem vetitam ſe feciſſe confirmat: vt ſi quis filium abdicaret, quòd Philoſophiæ operam daret: aut ſi Actius Poëta iniuriarũ ageret, quòd cũ aliquis mimus nomine proprio in ſcena appellaſſet.

Quid

Quid eſt Aſſumptiua Iuridicialis conſtitutio? In qua,cùm reus per ſe rem turpem feciſſe confiteatur, re tamen aſſumptâ extraneâ iure aliquo factum defendit.

Quot ſunt partes Aſſumptiuæ conſtitutionis? Quatuor, Conceſſio criminis, remotio, translatio, & comparatio.

Quid eſt Conceſſio criminis? Cum reus aliqua de cauſa extrinſecùs ſumptâ crimen, quod fatetur, ſibi poſtulat ignoſci.

Conceſſio in quot partes diuiditur? In duas, in Purgationem, & Deprecationem.

Quid eſt Purgatio? Cum factum conceditur, ſed culpa, & cauſa facti à reo remouetur. Hæc purgatio quot partes habet? Tres, Imprudentiam, Caſum, & Neceſſitatem.

Quomodo in Imprudentiam crimen reijcitur? Cùm reus dicit ſe imprudenter peccaſſe: vt ille, qui ſeruum interfecit,quem neſciebat à fratre Domino viuente libertate donatum, niſi poſt apertum teſtamentum.

Quomodo crimen in caſum, ſiuè fortunam conijcitur? Cùm reus dicit ſe diligenter, & ſumma fide omnia feciſſe, tamen eius conſilijs fortunam aduerſatam eſſe,vt Cœ-

pio Imp. apud Tribunũ plebis de amiſſione exercitus in clade à Cymbris acceptâ.

Quomodo crimen in Neceſſitatem confertur? Cùm reus demonſtrat ſe neceſſitate prohibitum id exequi, quod intendebat, vt ille, qui ad diem dictam non venit cum ipſo commeatu, quod eius iter aquarum exundatio intercluſiſſet.

Quid eſt Remotio criminis? Cùm reus à ſe remouet crimen in alium hominem, qui non prę ſtitit id, quod legitimè præſtandum fuerat: vt Legatus ille, qui non diſceſſit in legationem ſibi demandatam tempore ſtatuto, eò quòd ipſe Quæſtor, vt tenebatur, non ſuppeditauerat pecuniam ad legationem neceſſariam. Aut in rem quampiam, vt ille qui vetetur plebiſcito facere, quod ex teſtamento iubetur. vtputâ erigere ſtatuam in loco publico, aut ſepulchrum in loco non conceſſo.

Quid eſt Translatio Criminis? Cùm reus dicit ſe priùs iniuriâ laceſſitum fuiſſe: vt ille qui effoderat duos oculos ei, quòd vnum ſibi priùs effodiſſet.

Quid eſt Comparatio Criminis? Cùm reus

dicit

dicit meliùs fuiſſe ita facere, quàm id quod dicunt aduerſarij; vt Imp. ille, qui ab hoſtibus vndiquè obſeſſus maluit amittere impedimenta, quàm totum exercitum.

Quid eſt Deprecatio? Cùm reus cõſultò peccaſſe fatetur, & tamẽ poſtulat, vt ſibi ignoſcatur: vt Horatius ille Romanus fatebatur, ſororem ſe interfeciſſe, tamen petebat, vt ei ignoſceretur, quia Patriam à ſeruitute paulò ante liberauerat.

Superiores Conſtitutiones quo nomine appellantur? De facto, & quod agunt de crimine facti, alicui obiecto.

Quid eſt conſtitutio de Scripto? Quæ affert dubitationem circa aliquod verbum ſcriptum aut in lege, aut in teſtamento, aut alio genere ſcripturæ.

Quot ſunt Conſtitutiones, quæ dicuntur de Scripto? Sex, quæ etiam in partes ſex, diuiduntur, in ſcriptum & ſententiam, in contrarias leges, ambiguum, definitionem, translationem, & ratiocinationem.

Quid eſt Conſtitutio de ſcripto, & ſententiâ? Cùm alter litigantium tuetur verba ſcripti, alter verò ſententiam. Exemplum eſt

de eo, qui ægrotus volebat poſſidere nauim propter eam legem, quæ iubet eos, qui propter tempeſtatem nauim reliquerint, omnia perdere, & eorum nauim, cæteraq. eſſe (ſi nauis ſit incolumis conſeruata) qui remanſerint in ipſa naui.

Quid eſt Conſtitutio de contrarijs legibus?

Cùm duæ leges, aut plures videntur ſibi contradicere, vt lex eſt:

Qui Tyrannum occiderit, Olympionicarum præmium capito, & quam volet ſibi rem à Magiſtratu, depoſcito, & Magiſtratus ei concedito.

Et altera lex eſt: Tyranno occiſo, quinque eius proximos, cognatione Magiſtratus necato. E. g. Alexandrum, qui apud Phereos in Theſſalia Tyrannidem occuparat vxor ſua, cui Theba nomen fuit, noctu cum ſimul cubaret, occidit. Hæc filium ſuum, quem ex Tyranno habebat, ſibi premij loco depoſcit. Exoritur quæſtio ex repugnantia legum, quarum altera dat poteſtatem eligendi quoduis præmium, altera verò iubet, filium, vt Tyranno proximum occidi.

Quæ

Quæ eſt Conſtitutio de ambiguo? Cum res, de qua in ſcripto agitur, poteſt in duas, aut in plures ſententias interpretari; Cum tamen ad vnam ſolùm ſit referenda. Exemplum illius eſt, qui his verbis condidit teſtamentum: Hæres meus vxori meæ vaſorum argenteorum pondo centum, quæ volet, dato.

Quæ eſt Conſtitutio ex definitione? Cum circa definitionem vocabuli, de quo agitur, & ambigitur, controuerſia verſatur: vt ſi quæratur, quid ſit minuere maieſtatem? An vexare Magiſtratum Populi Romani? An facere contra voluntatem Senatus?

Quæ eſt Conſtitutio ex Translatione? Cùm reus dicit, ſecum agendum eſt de furto, non autem de peculatu.

Quid eſt Conſtitutio ex Ratiocinatione? Cùm aliquis caſus venit in Iudicium, qui non habet propriam legem, ſed ab alijs mutuatur. Exemplum eſt de Malleo, qui Matrem necauerat, & in carcere teſtamentum fecerat.

De

De Diſputatione inter accuſatorem, & defenſorem in tribus Conſtitutionibus ſumptâ, ex lib. 2. ad Herénium.

IN Conſtitutione Coniecturali qualis debet eſſe narratio accuſatoris? Talis, vt habeat ſuſpiciones interiectas, & diſperſas: ita vt nihil actum, nihil dictum, nuſquam ventum, aut abitum ſit: nihil denique factum ſinè aliqua cauſa putetur.

Qualis debet eſſe Narratio defenſoris? Simplex, Dilucida, Aperta cum attenuatione Suſpicionum. Vtriuſque exemplum licet videre apud Cic. in Oratione pro Milone. nam ibi narrat ſub perſona accuſatoris, & defenſoris.

Explicatio Controuerſiæ coniecturalis quot partibus conſtat? Sex, Probabili Collatione, Signo, Argumento, Conſecutione, Approbatione. A quibus partibus Accuſator arguit, Defenſor contra redarguit.

Quid eſt Probabile? Id, quod ab Accuſato-

re probatur, reo expediuiſſe peccare, & à ſimili turpitudine hominem nunquam abfuiſſe.

Probabile in quot partes diuiditur? In duas, Cauſam, & Vitam.

Quid eſt Cauſa? Ratio quædam, aut impetus, quo homo impellitur ad aliquid agendum.

Quot ſunt ſpecies cauſarum, Rhetorum more loquendo? Duæ, Ratiocinatiua, & Impulſiua.

Quid eſt Cauſa ratiocinatiua? Qua homo ducitur ad aliquid agendum, aut ſpe aliquod commodum conſequendi, aut incommodum deuitandi.

Quid eſt Cauſa impulſiua? Quæ ex aliqua affectione, & perturbatione animi proueniens ſinè vlla conſideratione ad aliquid agendum hominem impellit, vt amor, iracundia, inuidia, violẽtia, & cætera id genus.

In ſpe commodi quid dicet accuſator? Si honoris causâ dicet aliquid eſſe factum, oſtẽdet, eum ſemper fuiſſe ambitioſum, & dominandi cupidum. Si pecuniæ, augebit illius auaritiam. In vitatione incommodi augebit formidinem illius, & oſtendet eum

ſemper

ſemper fuiſſe meticuloſum: vt Teucer de Vlyſſe potuiſſet dicere?

Quid reſpondebit defenſor? Primùm negabit cauſam: ſi nullo modo poterit, eam vehementer extenuabit. Deindè per locum communem amplificabit dicens: Iniquum eſt, omnes, ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re proueniat in ſuſpicionem maleficij, ſic facilè deuocari.

De vita quid dicet accuſator? Oſtendet, reum aliàs etiam aliquid ſimile feciſſe, puta tu, furtum, ſacrilegium, homicidium, adulterium, de quo etiam agatur in præſentia apud Iudices. Aut ſi vnquàm venerit in ſimilem ſuſpicionem, & in eo debebit maximè elaborare, vt ad cauſam peccati hominis vita etiam accommodetur. Si non poterit vitium par cum ipſa cauſa inuenire, inueniat aliquod diſpar, aut multa alia, quibus hominis vitam, & perſonam contaminet. Nam (vt dici ſolet) qui ſemel in quacumque re malus eſt, præſumitur malus. Si autem reus vehementer caſtus, & integer exiſtimabitur, dicet accuſator facta, non famam ſpectari oportere, cum ante occul-

taſſe

taſſe ſua vitia, ſe planum facturum hoc maleficium ab eo commiſſum eſſe.

Quid reſpondebit defenſor? Primùm, ſi poterit, vitam integram demonſtrabit, ſi non poterit, gratiâ extenuandi confugiet, & ad imprudentiam, ſtultitiam, adoleſcentiam, vim, qua demonſtret eum coactum fuiſſe: aut perſuaſionẽ, qua dicet eum impulſum. Sed hæc vitia, non debere obſtare huic rei, de qua nunc agitur. Si autem reus infamiâ vehementer laborabit, defenſor vtetur loco communi rumoribus non eſſe credendum, & extremâ illâ defenſione ſe nunc agere de crimine apud Iudices, non autem de moribus apud Cenſores. Satis eſſe ſibi oſtẽdere, eum ab hoc crimine, quod in præſentia ei obijcitur, abeſſe.

De Collatione.

QVid eſt Collatio? Quædam comparatio, qua accuſator oſtendit nemini alij, niſi reo id bonum fuiſſe, & neminem aliũ, niſi ipſum reum perficere potuiſſe: aut eum alias rationes commodiores effugiſſe ex nimia

mia cupiditate, qua tenebatur, id conficiendi.

Quid reſpondebit defenſor? Oſtendet id quoque alijs bonum fuiſſe. v.g. Si quis ex pluribus fratribus accuſaretur aliquid feciſſe propter hæreditatem, quæ futura eſset cõmunis ſibi cum alijs fratribus, & complures alios hoc ipſum facere potuiſſe. Et oſtendet, eum nullam cauſam habuiſse, qua huiuſce maleficij eſset adeò cupidus.

De Signo.

QVid eſt Signum? Indicium, per quod oſtendit accuſatòr idoneam perficiendi illud crimen facultatem eſse quæſitam.

Signum in quot partes diuiditur? In ſex, Locum, Tempus, Spatium, Occaſionem, Spem perficiendi, Spem cælandi.

Quid conſiderandum eſt circa locum? An locus celebris, an deſertus, ſemper deſertus, an tum tantùm, cum id factum eſse dicemus, fuerit ſolitudo: ſacer, an profanus: publicus, an priuatus, cuiuſmodi loci attingant: numqui eſt paſsus, perſpectus, aut ibi auditus ſit.

Quid

Quid dicendum eſt tam ab accuſatore, quàm ab ipſo defenſore circa huiuſcemodi partes Signi? Quiuis poſitâ cauſâ, facillimè poteſt iudicare, nam initia inuentionis ab arte debent proficiſci, cætera facilè comparat exercitatio.

Quomodo conſideratur Tempus? Quæritur qua parte anni, noctù, an interdiù id factum eſſe dicatur.

Quid conſideratur circa Spatium? Fuerit'ne ſatis longum ad eam rem tranſigendam, & potuerit'ne ſcire is, qui fecerit. Nam parui refert, ſatis ſpatij fuiſſe ad id perficiendum, ſi id ante ſciri, & ratione præuideri non potuerit.

Quid de Occaſione conſiderandum eſt? Idonea'ne ſatis fuerit ad eam rem adoriēdam, an alia melior, quæ aut præterita ſit, aut non expectata.

Quid conſideratur de ſpe perficiendi? Si omnia ſupradicta indicia concurrere, demonſtrabimus. Si prætereà ex altera parte vires, pecuniam, conſilium, ſcientiam, & apparationem. Ex altera parte imbecillitatem, inopiam, ſtultitiam, imprudentiam,

inapparationem fuiſſe oſtendemus, quibus rebus potuerit ſcire, an confidendum, an diffidendum eſſet.

Quid quæritur de ſpe cælandi? Ex conſcijs arbitris, adiutoribus, liberis, aut ſeruis, aut vtriuſque.

De Argumento.

QVid eſt Argumentum? Demonſtratio quędam, qua res coarguitur certioribus indicijs, & magis firma ſuſpicione.

In quot partes diuiditur hoc Argumentum? in Tria Tempora, Præteritum, Inſtans, & Conſequens.

Quid conſideratur de Tempore pręterito? Vbi reus viſus ſit, cum quo, aut cũ quibus, num quempiam conuenerit de conſcijs, de adiutoribus, num adiuméta inuenerit, num quo in loco præter conſuetudinem fuerit.

De Inſtanti tempore quid quæritur? Num viſus ſit, cùm faciebat: num quis ſtrepitus, clamor, crepitus ſit exauditus: an aliquid aliquo ſenſu perceptum ſit, aſpectu, auditu, tactu, olfactu, & guſtu. Nam quiuis horum ſenſuum poteſt conflare ſuſpicionem.

In Conſequenti tempore, quid ſpectatur?

Num-

Numquid re tranſactâ relictum ſit, quod indicet, aut factum eſſe maleficium, aut à quo factum ſit. Factum eſſe, hoc modo: Si telum, ſi veſtimentum, ſi quid huiuſmodi relictum ſit, aut ſi veſtigium rei fuerit, aut ſi cruor in veſtimentis, ſi in eo loco cõprehenſus, aut viſus ſit tranſacto negotio, vt de Vlyſſe, qui inuentus in Sylua à Teucro, vbi Aiax ſeipſum interfecerat.

De Conſecutione.

QVid eſt Conſecutio? Perſcrutatio quędam, qua quæritur, quæ ſigna nocentis, aut innocentis conſequi ſoleant.

In Conſecutione quid dicet accuſator? Reũ, cùm ad ipſum ventum eſt, erubuiſſe, inpalluiſſe, titubaſſe, inconſtantem locutum eſſe, concidiſſe, pollicitum eſſe aliquid. quæ ſigna ſunt conſcientiæ criminis commiſſi.

Si reus nihil horum fecerit, tunc dicet accuſator reum vſque adeò pręmeditatum fuiſſe, quid ſibi eſſet vſu venturum: vt confidentiſſimè reſiſtens reſponderet. quæ ſigna ſunt confidentiæ, non autẽ innocentię.

Quid reſpondebit Defenſor? Si reus pertimuerit magnitudine periculi, non conſciētiâ peccati. Si non pertimuerit, dicet, reum innocentiâ fretum nihil eſse commotum.

De Approbatione.

QVid eſt Approbatio? Quædam confirmatio, qua vtimur ad extremum confirmatâ ſuſpicione ex ſuperioribus partibus, & hæc habet locos proprios, & communes confirmandi.

Qui ſunt loci proprij? Quibus tantùm accuſator, aut defenſor vti poteſt v. g. In cauſa coniecturali accuſator dicet, Malorum miſereri non oportere, & augebit criminis atrocitatem. Contra, defenſor captabit miſericordiam, & oſtendet accuſatorem calumniari.

Qui ſunt loci communes, qui tam ab accuſatore, quàm à defenſore tractantur, ſed diuerſa ratione? Quatuor, à teſtibus, contra teſtes: à quæſtionibus, contra quæſtiones: ab argumentis, contra argumenta: à rumoribus, contra rumores.

Quomodo dicemus à teſtibus? Si eorum auctori-

thoritatem, & vitam honeſtiſſimè actam ſemper laudabimus: & teſtimoniorum conſtantiam, & congruitatem oſtendemus.

Quomodo dicemus contra teſtes? Si vitæ turpitudinem, & teſtimoniorum inconſtantiam oſtendemus, & id, quod ipſi factũ eſse dicant, fieri non potuiſse, aut eos non potuiſse ſcire, ſed ex nimia cupiditate loqui, & argumentari, quod nõ decet Teſtes.

Quomodo dicemus à quæſtionibus? Si demõſtrabimus noſtros maiores veritatis inueniendæ gratiâ tormentis, & cruciatibus vti voluiſse, vt homines magno dolore coacti, quicquid ſciant, fateantur, quæ diſputatio confirmatio erit, ſi quæ dicta erunt, argumentandò poterimus trahere ad veriſimilem ſuſpicionem.

Quomodo dicemus contra quæſtiones? Si dicemus noſtros maiores voluiſse quæſtiones interponi in rebus certis, vt quæ verè dicerentur, poſsent ſeruari, quæ falsò pronunciarentur, refelli poſsent. Prætereà dicemus dolori credi non oportere; proptereà quòd alius alio recentior ſit in dolore, & alius ingenioſior ad comminiſcendum.

ſcendum. quod poſſit ſcire, aut ſuſpicari, quid quæſtor velit audire; quo dicto, intelligit ſibi finem doloris eſse futurum.

Hæc diſputatio comprobabitur, ſi refellemus, quæ in quæſtionibus erunt dicta, probabili argumentatione ſumptâ ex partibus coniecturæ.

Quomodo dicemus ab Argumentis, Signis, & cæteris locis, quibus augetur ſuſpicio? Si ita dicemus, cũ multa concurrant argumenta, & ſigna, quæ inter ſe conſentiant rẽ perſpicuam, non ſuſpicioſam videri oportere. Prætereà dicemus plus ſignis, & argumentis credi oportere. Hîc enim exponuntur eo modo, quo facta ſunt. Teſtes autem corrumpi poſsunt vel pretio, vel gratiâ, vel metu, vel ſimultate.

Quomodo dicemus cõtra argumẽta, & ſigna, & cæteras ſuſpiciones? Si dicemus nullam rẽ eſse, quã non ſuſpicionibus quiuis poſſit criminari. Deindè vnamquamque ſuſpicionem extenuabimus, & dicemus indignum facinus eſse ſinè teſtibus coniecturam, & ſuſpicionẽ ſatis firmamenti habere.

Quomodo dicemus à rumoribus? Si negabimus

gabimus famam temerè ſolere naſci, quin aliquid ſubſit, & aliquo exemplo vtemur, & dicemus: fumum nunquam, niſi ab igne, & addemus nullam cauſam fuiſſe, qua re quiſpiam confringeret, & comminiſceretur. Præterea, ſi cæteri falſi ſoleant eſſe, argumentabimur hunc eſſe verum.

Quomodo dicemus contra rumores? Si dixerimus multos fuiſſe falſos rumores, & aliquorum exemplis vtemur, de quibus tandem fama ſit cognita falſa, & homines naturâ maleuolos, & maledicos multa ſolere confingere, & adducemus aliquid fictum contra ipſos aduerſarios, quod tamen fuerit falſum.

De Diſceptatione legitimæ Conſtitutionis, & de Scripto, ac Sententia.

QVid dicendum eſt ab eo, qui ſtabit à Scripto? Primùm laudabit eum, qui ſcripſerit, & maxime à prudentia; deindè recitabit ipſum Scriptum, deindè percon-

ctabitur aduerſarios, ſcirent'ne id ſcriptum fuiſſe aut in lege, aut in teſtamento, aut in ſtipulatione, aut in quolibet alio ſcripto, quod ad eam rem pertineat. Deindè quadam collatione oſtendet quid ſcriptũ, quid aduerſarij ſe feciſſe dicant, quid Iudicem ſequi conueniat, verùm id, quod diligenter perſcriptum ſit? an id, quod ſit acutè excogitatum? Poſtremò afferetur exemplum alicuius Iudicis, quod potiùs iudicatum ſit à Scripto, quàm à Sententia; & oſtendet periculoſum eſſe à Scripto recedere, atque ita per locum communem amplificabit contra eum, qui fateatur ſe feciſſe contra id, quod legibus ſancitum eſt, aut teſtamento perſcriptum, & tamen ex ſua quadam verborum interpretatione quærat defenſionem.

Quid dicendum ab eo, qui ſtabit a Sententia? Primùm laudabit Scriptoris commoditatem, & breuitatem, quod tantùm ſcripſerit, quod neceſſe fuerit. Illud, quod ſinè Scripto intelligi potuerit, non neceſſariò ſcribendum putarit. Deindè dicet, Calumniatoris officium eſſe verba, & literas tantùm

ſequi

ſequi voluntatem autem Scriptoris negligere. Deindè oſtendet id, quod ſimpliciter eſt ſcriptum, non poſſe fieri aut ex lege, more, naturâ, bono, æquo, quæ omnia Scriptorem voluiſſe, nemo eſt, qui dubitet. Deinde oſtendet Sententiam aduerſariorũ aut nullam eſſe, aut ſtultam, aut iniuſtam, aut non conuenire cum Sentẽtijs ſuperioribus, aut inferioribus, aut cum alijs legibus. Poſtremò afferentur exempla rei alicuius iudicatæ potiùs à voluntate, quàm à Scripto, & amplificabit per locum communem contra eum, qui Scriptum recitet, & Scriptoris voluntatem non interpretetur.

De Contrarijs Legibus.

QVid dicendum eſt, quando Leges videntur contrariæ? Primùm videndum eſt, num quæ abrogatio, aut derogatio facta fuerit? Deindè vtrum Leges ita diſſentiant, vt altera iubeat, altera vetet? An vna cogat, altera permittat? Nam longè validior Lex eſt, quę cogit, quàm quæ permittit, ita infirma erit illius defenſio, qui dicat ſe feciſse, quod ea Lex ſanciat, cui

abrogatum, aut derogatum ſit, & eſſe neglectum, quod poſteriori Lege ſancitum ſit: atque ita cùm hæc erunt conſiderata, noſtræ Legis expoſitionem, recitationem, & collaudationem in medium afferemus.

De Ambiguo.

QVid dicendum eſt de Ambiguo? Primùm videndum eſt, an Scriptũ ſit Ambiguum: deindè quomodo ſcriptum eſſet, ſi id, quod aduerſarij interpretantur, Scriptor fieri voluiſſet; deindè id, quod nos interpretemur, & fieri poſse, & honeſtè, rectè, lege, more, bono, & æquo; quod verò aduerſarij interpretantur, contrario modo ſe habere, cùm intelligatur, vera ſententia ſit vera.

De Definitione.

QVid dicendum eſt circa Definitionem? Statim debemus afferre breuem vocabuli definitionem. E.g. Is minuit Maieſtatem, qui ea tollit, ex quibus ciuitatis amplitudo conſtat. quæ ſunt ea, quæ capiunt ſuffragia populi, & Magiſtratuum conſi-

conſilia. Nempè igitur tu & populum ſuffragio, & Magiſtratum conſilio priuaſti, cùm pontes diſturbaſti. Item ex contrario. Item minuit Maieſtatem, qui amplitudinē ciuitatis detrimento afficit. Ego non affeci detrimento, ſed prohibui; ærarium enim conſeruaui, libidini malorum reſtiti, Maieſtatem omnem interire non ſum paſſus. Primùm igitur vterque vocabuli ſententiā ad rem ſuam definiendo accomodabit; deinde factum ſuum cum verbi deſcriptione coniunget: deinde contrariæ deſcriptionis ratio refelletur, ſi aut falſa, aut inutilis, & iniurioſa, & id ex partibus iuris aſſumetur. De Iuridiciali abſoluta; de qua mox dicemus.

De Translatione.

QVid dicendum eſt in Tranſlatione? Num aliquis eius rei actionem, petitionem, aut executionem habeat, quem non oporteat; num alio modo, alio tempore, alio loco, num alia lege; num alio quærente, aut agente.

Hæc autem reperiuntur legibus, moribus, æquo, bono, de quibus ſuo loco.

De

De Ratiocinatione.

QVid conſiderandum eſt in cauſa Ratiocinali? Primùm quæretur, & quid in rebus maioribus, aut minoribus ſimilibus ſimiliter ſcriptum, aut iudicatum ſit: deindè vtrum conſultò de ea re ſcriptum non ſit, quod noluerit cauere, an quod ſatis cautum putarit propter cæterorum ſciptorum ſimilitudinem.

De Conſtitutione Iuridiciali abſoluta.

QVomodo, & quando accidit Conſtitutio Iuridicialis abſoluta? Cùm ipſam rem, quam nos feciſſe confitemur, iure factam dicimus ſinè vlla aſſumptione extraneæ defenſionis. Vndè neceſſe eſt ſcire, quibus partibus ius conſtet.

Quot partibus ius conſtat? Sex, Naturâ, Lege, Conſuetudine, Iudicato, æquo, & bono, pacto.

Quid eſt Ius Naturâ? Quod cognationis, aut pietatis causâ obſeruatur, quo iure liberi a paren-

parentibus amantur, & parentes à liberis coluntur, & cæteri cognati inter ſe amore proſequuntur.

Quid eſt Ius lege? Quod populi, aut Senatus iuſſu ſancitum eſt, vt in ius eas, cũ voceris.

Quid eſt Ius conſuetudine? Id, quod ſinè lege, ac ſi legitimum ſit, vſitatum eſt, & ab ipſa conſuetudine iudicia fiunt, non ſecùs, quã ab ipſa lege. quod genus eſt id, quod argẽtario attuleris appenſum, à Socio eius rectè poſſis repetere.

Quid eſt Ius ex Iudicato? Id, de quo iam ab alijs ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum. Sed quoniam fieri poteſt, vt de eadem re, aut ſimili ſententiæ diuerſæ ſint prolatæ, tunc Iudex cum Iudice, tempus cum tempore, numerus cum numero iudiciorum eſt conferendus.

Quomodo Ius conſtat ex bono, & æquo? Quod ad veritatem, & communem vtilitatem pertinet, quod genus eſt, vt maiori annis ſexaginta, & cui morbus cauſa eſt, cognitorem det.

Quomodo Ius conſtat pacto? Eò quòd duo, aut plures inter ſe ex pactione pepigerunt.

Nam huiuſcemodi pactiones ex legibus etiam ſunt ſeruandæ.

De Iuridiciali Conſtitutione aſſumptiua per comparationem.

QVid in comparatione criminis conſiderandum eſt? Primùm accuſator quæret, vtrum fuerit vtiliùs ex quadam contẽtione, hoc eſt, vtrum dignius, venuſtius, facilius, conducibilius: deinde an oportuerit ipſum iudicare, vtrum fuerit vtilius, an aliorum fuerit ſtatuendi poteſtas; poſtea interponetur ſuſpicio ex coniecturali conſtitutione, vt putetur id dolo malo geſtum eſse, & percontabitur; Potuerit'ne ab ea euitari, nè in eum locum veniretur? Poſtremò accuſator vtetur loco communi in eum, qui inutile vtili præpoſuerit, cùm nullam haberet ſtatuendi poteſtatem; ſi id poterit rationibus oſtendere.

Quid reſpondebit defenſor? Primùm refellet argumẽtationem coniecturalẽ, vt amoueat,

ueat ſuſpicionem, reum nullo malo dolo, ſed potiùs ex bono animo, & optimo conſilio omnia feciſſe: deinde arguet contra eos, qui cenſeant ęquum, rem perniciosã vtili præponi. Poſteà vtetur loco communi per conquæſtionem. Poſtremò quæret tam ab accuſatoribus, quàm ab ipſis Iudicibus, quid ipſi facturi fuiſſent, ſi in eo loco fuiſſent, atque ita tempus, locum, rem, deliberationem ſuam antè oculos ponet.

De Translatione Criminis.

QVid in Translatione conſiderandum eſt? Accuſator primùm quęret, Iure'ne in alium crimen transferatur, an æquè magnum ſit illud crimen, quod in alium transferatur, atque illud, quod reus ſuſcepiſſe fateatur? Deindè quæret, Oportuerit'ne peccare in ea re, in qua alius antè peccauerit? An oportuerit priùs iudicium fieri? Poſteà cùm iudicium factum non ſit de illo crimine, quod in alium transferatur, oporteat'ne de ea re iudicium fieri, quæ res in iudicium non venerit? Et vtetur loco communi contra eum, qui cenſeat

vim

vim pluſquàm ipſa iudicia valere. Et percontabitur ab ipſis aduerſarijs, quid futurum ſit; Si hoc idem cæteri faciant, aut de indemnitatis ſupplicium ſumant. quid iuris in noſtra ciuitate relinquetur?

Quid reſponebit defenſor? In primis atrocitatem criminis eorum proferet, in quos ipſum crimen transfertur,& rem,& locum, tempus ante oculos ita ponet, vt ij,qui audiant exiſtiment aut non potuiſſe, aut non fuiſſe vtile rem in iudicium venire. E. g. Oreſtes defenſor ſic dicet: Nefaria vxor Maritũ tot periculis & belli, & maris elapſum, quo die primùm in patriam appulit, nocturno tempore cum genialem thorum aſcenſurus eſt (miſerum, & infandum) Aegiſtho viro impio, qui ea per decennium, abſente marito, abuſus fuerat, ſecuri percutiendum tradidit, & quod longè peius, ſuis manibus coadiuuit. quid cuperetis, Iudices,in tam horrendo caſu à filijs veſtris fieret? Nihil aliud, quàm quod ab hoc filio tam veriſſimo, quàm patris amantiſſimo factum eſt.

De

De Conceſſione Criminis per neceſſitatem.

QVid in hac parte conſiderandum eſt? Primùm vtrum per culpam illius ventum ſit in neceſſitudinem, num culpam veniendi neceſsitudo fecerit. Deindè quærendum eſt, quo modo vis illa potuerit deuitari, aut leuari. Poſtea is'ne, qui in neceſſitudinem cauſam conferet, expertus ſit, quid contra facere, aut excogitare poſſet? Deinceps num quæ ſuſpiciones ex coniecturali conſtitutione trahi poſſint, quę ſignificent, id conſultò factum eſſe, quod neceſſariò accidiſſe dicatur. Circa quas & accuſator, & defenſor verſabitur, ſicut ſuperiùs dictum eſt in Cõſtitutione coniecturali. Poſtremò ſi qua necſsitudo inciderit, ea'ne ſatisfuerit idonea ad impediendum id, quod faciendum erat?

De Conceſſione Criminis per Imprudentiam.

QVid in hac parte conſiderandum eſt? Primùm quæretur, vtrùm reus potuerit ſcire, an non? Poſteà vtrùm data ſit opera,

vt

vt ſciretur an non? Deinceps vtrùm caſu neſcierit, an culpâ? Nam qui ſe propter vinum, aut amorem, aut iracundiam fugiſſe rationem dicet, is animi vitio videbitur neſciſſe, non imprudentiâ. Deindè ex coniecturali conſtitutione ſuſpiciones adducentur, ſicut etiam ſuperiùs dictum eſt. Poſtremò quæretur, an imprudentia ſatis præſidij debeat habere, cùm factum ipſum conſtet?

De Conceſſione Criminis per fortunam.

QVid in hac parte conſiderandum eſt? Eadem fermè omnia, quæ ſuperiùs dicta ſunt de neceſſitudine. Nam hæ tres partes purgationis inter ſe ita ſunt cognatæ, & ſimiles, vt eadem præcepta omnibus conueniant, in quibus omnibus locus communis accuſatoris erit, contra eum, qui cũ ſe peccaſſe confiteatur, tamen quibuſdam nugamentis Iudices remoretur. Defenſoris autem locus communis erit de humanitate, de miſericordia, de vi fortunæ multa dicere, & voluntatem omnibus in rebus ſpectari conuenire, & quæ conſultò facta

non ſunt, in ijs nec fraudem, nec pœnam inesſe oportere.

De Remotione Criminis.

QVid conſiderandum eſt in remotione criminis? Si cauſa in quempiam hominem conferetur, quærendum erit primùm: Potuerit'nè tantùm is homo, in quem cauſa remouebitur, quantùm reus dicet? Et quonã modo aut honeſtè, aut ſine periculo potuerit obſiſti? Quod ſi ita ſit; Num eâ re cõueniat reo concedi, quod alieno impulſu ſe feciſſe dicat? Deinde per coniecturalem conſtitutionem mouebuntur ſuſpiciones, quibus accuſator dicat, reum potiùs ex ſe, quàm aliorum authoritate feciſſe. quibus omnibus defenſor reſpondebit, vt ſuperiùs dictum eſt. Si verò cauſa in rem conferetur hæc eadem ferè, & omnia, quæ de neceſſitudine præcepimus, tam ab accuſatore, quàm à defenſore, conſideranda erunt.

De Deprecatione.

QVid in ipſa deprecatione conſiderãdum eſt? Qui dicet eſſe ignoſcendum, ijs locis vtetur. Oſtendet plura, aut maiora, eſſe, & fuiſſe beneficia, quàm maleficia, ſi qua virtus, aut nobilitas erit in eo, qui ſupplicabit; ſi qua ſpes de eo erit, ſi ſine ſupplicio abijerit; ſi ille ſupplex, manſuetus, & miſericors in poteſtatibus oſtendetur, aliàs fuiſſe. Nam qui miſericordiâ vtitur, & vſus eſt, miſericordiâ (vt dici ſolet) dignus habetur; prætereà oſtendet ea, quæ peccauit, non odio, non crudelitate, ſed officio, & recto ſtudio peccaſſe E.g. Si quis diceret Horatium interfeciſſe ſororem magis amore patriæ, cuius fœlicitate illa dolebat, quàm odio, aut vlla crudelitate. Deinde ſi poterit, adducet exemplum alicuius, cui in ſimili cauſa ſit condonatum. Prætereà oſtendet nihil periculi cuiquam futurum, ſi dimiſſus fuerit, nec vllam ex ea re vituperationem ad noſtram ciuitatem deuẽturam, neque in noſmetipſos apud alias ciuitates conſecuturam. Poſtremò per locum communem

multa

multa de humanitate, de fortuna, miſericordia, de rerum commutatione adducentur.

Quid contra dicet? Ijs omnibus è contrariò. Primùm negabit, ſi poterit beneficia, aut ſi non poterit, ea vehementer extenuabit cum amplificatione, & enumeratione omnium peccatorum quæ fecerit, & oſtendet multa mala cõſecutura tam publicè, quàm priuatim, ſi is impunè abierit.

Licetnè vti deprecatione apud Iudices? Minimè, quia Iurati tenentur iudicare, ſecundum leges ſibi præſcriptas, ſed licet vti in Senatu apud Regem, apud Imperatorem, & apud Concilium maximorum Principum, qui poſſint in Legibus diſpenſare, & hac de cauſa Rhetores de ipſa deprecatione mentionem fecerunt, & hac pro Ligario vſus eſt Cic. apud Cæſarem Imp. & Dictatorem.

De Materia Generis Demonſtratiui.

VNdè ſumitur materia laudandi, aut vituperandi? A tribus fontibus, rerum externarum, corporis, & animi.

Quæ ſunt ea, quæ dicuntur externa? Quæ fortunâ ſecundâ, aut aduerſâ hominibus accidere ſolent. qualia ſunt genus, educatio, diuitiæ, poteſtates, gloria, ciuitates, amicitiæ, & alia huiuſcemodi, quæ nunc laudi, nunc vituperio hominibus eſſe ſolent.

Quæ ſunt ea, quæ dicuntur Corporis? Ea commoda, aut incommoda, quæ natura corpori attribuit, vt velocitas, vires, dignitas in viro, venuſtas in muliere, valetudo, & quæ his ſunt contraria.

Quæ ſunt ea, quæ dicuntur animi? Quæ conſilio, & cogitatione priùs, deindè in actione conſiſtunt, vt prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia, & quæ his ſunt contraria.

Quomodo ſumũtur Procemia in Genere Demonſtratiuo? Sicut ſuperiùs demonſtratum eſt à perſona noſtra, ab eius, de quo erimus dicturi, ab eorum, qui audient, & à re ipſa.

Quomodo ſumitur Procemium à perſona noſtra? Si laudabimus, dicemus, aut ex officio facere, quod cauſa neceſſitudinis intercedat,

cedat, aut ex ſtudio, quod huiuſmodi virtutes in hoc ſint viro, vt omnes eas commemorare debeant, aut quod honeſtum, & rectum ſit ex aliorum laude oſtendere, qualis noſter ſit animus. Si verò vituperabimus, aut ex merito facere, quod ab eo ita tractati ſumus, aut ex ſtudio, quod vtile putemus eſſe, ab omnibus huiuſce hominis malitiam, atque nequitiam cognoſci, aut quod placeat oſtendi quid nobis diſpliceat ex aliorum vituperatione.

Quomodo ſumetur Procemium ab illius perſona, de qua dicemus? Si laudabimus, præfabimur nos vereri non poſſe illius facta, noſtra oratione conſequi, & huius viri laudes tales, tantaſque eſſe, vt omnes eas debeant prædicare, & ipſa facta egregia omnium Oratorum ingenium, & eloquentiam anteire.

Si verò vituperabimus, pariter dicemus, nos dubitare, non poſſe Oratione noſtrâ omnia illius flagitia, ſcelera, crimina complecti, quæ quidem tot, tantaque ſunt, vt maledicentiſſimi cuiuſque rabulę loquacitatem ſuperent; tamen nos operam daturos,

ros, vt quædam immania flagitia cognoſcantur: vt quò notiora fuerint, tantò magis ab omnibus viris poſsint deuitari.

Quomodo ſumetur Procœmium ab Auditorũ perſona? Si laudabimus, ſic dicemus: Quoniam hunc virum prȩclariſſimum, non apud tantarũ virtutum ignaros laudamus, nos tantummodò monendi omnes cauſa, pauca eſſe dicturos. Si autem eſſent ignari, vt talem virum velint agnoſcere, petemus, quoniam & ipſe verſatur circa ea virtutum genera, quibus ipſi, qui audiunt, maximè delectantur: Si vituperabimus, pari ratione dicemus: quoniam huiuſce hominis ſceleſtiſſimi nota ſunt flagitia, pauca de nequitia eius nos eſse dicturos: Si autem ignorarent, petemus, vt velint cognoſcere, vt illius malitiam vitare poſſint, cum eius vita maximè ſit diſſimilis ab eorum vita, qui audiunt, cùm hi ſint optimi, ille verò omnium ſit peſſimus.

Quomodo ſumetur Procœmium à rebus ipſis? Si laudabimus, dicemus nos incertos eſſe, quid potiſſimùm laudemus, cùm tot nobis laudanda ſuccurrant, & vereri, ne cũ mul-

ta dixerimus plura prætereamus, & alia, quæ ſimiles ſententias habeant.

Si vituperabimus, ſimili modo dicemus, tot huiuſce hominis flagitia eſſe, vt vndè exordiũ ſumamus, prorsùs ignoremus? Et nos dubitare, ne cum multa enumrauerimus, plura dicenda remaneant, & alia id genus, quibus attentionem ab ipſis auditoribus capiamus.

Poſt Proœmium in Genere Demonſtratiuo, eſt'ne ſemper neceſſaria Narratio? Minimè, ſed ſi qua inciderit, idem modus ſeruandus eſt, qui ſuperiùs eſt præſcriptus, vt ſcilicet ſit breuis, dilucida, & veriſimilis. Verũ accidet ſub ſpecie Narrationis explicatio vitæ & rerũ ab eo geſtarũ, ſiue in laudẽ, ſiue in vituperationẽ alicuius dicemus.

Qualis debet eſſe Diuiſio in Genere Demonſtratiuo? Per Enumerationem, vt ſcilicet enumeremus in ſummam res, quas laudaturi, aut vituperaturi ſumus. Et primò exponere oportebit animi virtutes, aut vitia: deinde commoda, aut incommoda corporis: poſtremò rerum externarum ornamenta, aut dedecora, & quomodo ab ani-

mo tractata ſint demonſtrare.

In rebus externis quid primùm laudandum eſt? Genus, ſub quo contineatur prouincia, patria, & familia. Vnde ſi laudabimus, dicemus: ex qua prouincia, qua patria, qua familia, quibus maioribus, quibus parentibus natus ſit. Si ex bono genere ortus erit eum parem ſuo generi, aut etiam excelſiorem fuiſſe, demonſtrabimus. Si humili genere, ipſum in ſuis, non in maiorum virtutibus habuiſſe præſidium dicemus. Id quod Cic. de ſe contra inuidos, & æmulos prædicare ſolebat.

Si vituperabimus, & ex bono genere ſit natus, eum ſuis maioribus dedecori fuiſſe dicemus; ſin abiecto & malo, tamen etiam ipſis detrimento fuiſſe.

Poſt genus quid eſt conſiderandum? Educatio, in qua ſi laudabimus oſtendemus eũ bene, & honeſtè à pueritia inſtitutũ fuiſſe. Si verò vituperabimus, demonſtrabimus eum malè educatum fuiſſe, nec vllis ingenuis artibus ab adoleſcentia eruditum fuiſſe, & cætera id genus.

Poſt educationem quid eſt conſiderandum? Natu-

Naturæ bona,de quibus ſi laudabimus,dicemus dignitatem corpoream, & formam huic ſuiſſe laudi, non autem quemadmodùm plurimis detrimento, & dedecori, & vires, & velocitatem, & cætera naturæ egregia commoda honeſtis exercitationibus comparata ei plurima ornamenta attuliſſe, & valetudinem ex perpetua diligentia, & temperantia cupiditatum partam,& conſeruatam eſſe. Si vituperabimus, & ei ſint hæc commoda, dicemus eum hiſce commodis malè vſum fuiſſe, & eius vires fuiſſe potiùs temerarij gladiatoris, quàm viri fortis: Si autem non erunt, dicemus id euenisse ex eius culpa, & intemperantia. Si forma ei inerit, dicemus eum abuſum fuisse.

Quid deinceps conſiderandum eſt? Rursùs ad extraneas res reuertendum eſt, in quibus animi virtutes,aut vitia ſunt explicanda, E. g. qualis in diuitijs fuerit, liberalis, prodigus, an parcus, an auarus. Si de paupere agetur,quo animo pertulerit paupertatem, quemadmodùm in amicitia ſeruanda, aut in ſuſcipiendis inimicitijs ſe

geſse-

geſserit, qua fide, qua beneuolentiâ amicos ſit proſequutus, qua animi conſtantiâ, & fortitudine ſeſe defenderit. Demum ſi laudabimus animi virtutes, ad actiones ipſas ſunt accommodandæ, vt aliud iuſtè, aliud fortiter, aliud prudenter, aliud moderatè factum eſse, dicamus.

Si vituperabimus è cõtrario omnia dicenda ſunt.

Si de Mortuo agetur, cuiuſmodi mors fuerit, dicendum eſt: vt Iunius Brutus pro libertate Patriæ dimicans contra Arunthem Tarquinium, mutuo vulnere cecidit, & cuiuſmodi res mortem eius ſit conſecuta. Vt: Matronæ Romanæ Brutum, vt libertatis parentem annum luxerunt, quòd tam acer vltor violatæ pudicitiæ fuiſset.

Qualis debet eſse Peroratio in genere Demonſtratiuo? Breuis, & per enumerationem, & quæ dicta ſunt per totam Orationem breuiter repetantur.

Quid prætereà ſeruandum eſt de genere Demonſtratiuo? Oratorem ſeparatim vti poſſe genere Demonſtratiuo, & frequentiſsimè vnà cum genere Deliberatiuo, vt Cic.

pro

pro lege Manilia laudat Pompeium, vt perſuadeat eum vnicum Imperatorem deligendum eſse. Et vnà cum genere Iudiciali, vt idem Cic. Pro Milone laudat ipſum Milonem, contra vituperat Clodium, vt oſtẽdat, & confirmet ipſum Clodium iure cæſum fuiſse à Milone.

De Genere Deliberatiuo.

QVid eſt Deliberatio? Quandoque de duobus: vt ſi deliberaretur, vtrum Carthago tollenda ſit, an relinquenda? Quandoque de pluribus: vt ſi deliberet Annibal, quid potiſſimùm faciat, cùm reuocetur à Carthaginiẽſibus, an in Italia remaneat, an in patriam redeat, an in Aegyptum profectus occupet Alexandriam.

Quales item ſunt Deliberationes? Aliæ propter ſe tantùm, aliæ propter rem extraneam, & aliæ propter vtramque; ideſt propter ſe, & propter rem extraneam.

Quæ eſt Conſultatio propter ſe? Quando conſultatur aliquid propter rei ipſius qualitatem, & naturam, nullius rei, quæ extra

ſit,

ſit, habitâ ratione: vt ſi Senatus Romanus deliberet, an captiuos poſt prælium Cannenſe ab hoſtibus redimat. In hoc enim Senatus tantummodò ſpectauit, Honeſtum'ne ſit, eos, qui ignaui fuiſſent, redimi?

Quę eſt Conſultatio propter rem extraneam? Quando conſultatur, an aliquid fiat propter aliquam cauſam, quæ extrinſecùs veniat: vt ſi Senatus deliberet ſecundo bello Punico ſoluat'ne legibus, Scipionem, vt liceat eum ante tempus Conſulem fieri. Hæc enim conſultatio non erat, Soluendus'ne eſſet legibus, an non, an deligendus eſſet, cùm alij recuſarent eò proficiſci, & vt amicis Hiſpaniæ populis ſubueniretur:

Quæ eſt Conſultatio propter vtramque, hoc eſt partim propter ſe, partim propter rem extraneam? Quando conſultatur, vtrum id per ſe iuſtum, & honeſtum ſit, & aſſumitur alqua cauſa extranea: vt ſi deliberet Senatus bello ſociali, Socijs ciuitatem det, an non. hæc enim conſultatio eſt partim propter ſe, partim propter rem extraneam, ne bellum ab ijs, qui læſos ſe putarent, Populo Rom. inferatur.

Quid

Quid faciendum eſt ab eo, qui de aliqua re ſententiam ſuam dicat? Vtilitatis finis ſibi in primis eſt pręponendus, atque eò totius orationis ratio eſt dirigenda.

Vtilitas in quot partes diuiditur? In duas, in rem tutam, & honeſtam.

Quæ eſt res tuta? Quæ aliqua ratione efficit vitationem periculi inſtantis, aut conſequentis.

Res tuta quot partes habet? Duas, vim, & dolum, de quibus aget Orator coniunctim, & ſeparatim.

Vis in quibus conſiſtit? In exercitibus, claſſibus, armis, tormentis, reuocationibus militum, & alijs huiuſmodi rebus.

Dolus in quibus verſatur? In pecunia, pollicitationibus, diſsimulationibus, maturationibus, mentitionibus, & cæteris id genus.

Honeſta res in quot partes diuiditur? In duas, Rectum, & Laudabile.

Quid eſt Rectum? Quod cum virtute, & officio fit.

Hoc Rectum in quot partes diuiditur? In quatuor, Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem,

dinem, & Temperantiam.

Quid eſt Prudentia? Calliditas à Natura hominì inſita, quę ratione quadam poteſt habere delectum bonorum, & malorum. Vel Prudentia eſt ſcientia, & cognitio alicuius artis, & multarum rerum memoria, & vſus plurimorum negotiorum. Vndè Seniores prudentiores ſemper habentur, quia multa ſunt experti.

Quid eſt Iuſtitia? Aequitas, & ius vnicuique tribuens, quod ſuum eſt, hoc eſt, bonum bonis, & malum malis rependens.

Quid eſt Fortitudo? Rerum magnarum expetitio, & rerum humilium contemptio, & laboris cum vtilitatis ratione perpeſſio.

Quid eſt Temperantia? Habitus rationis nimias cupiditates refręnans.

Quomodo vtemur partibus Prudentiæ? Si in dicendo commoda cum incommodis conferemus, & alterum faciendum eſſe, alterum verò deuitandum cohortabimur: aut ſi aliquam rem faciendam eſſe dicemus, cuius rei diſciplinabilem ſcientiam habeamus, aut ſi ſuadebimus quidpiam eſſe faciendum, cuius rei geſtæ, aut pręſentem

ſentem

Digitized by Google

ſentem, aut auditam memoriam poterimus habere, qua in re Exempla allata nobis erunt maximo adiumento ad perſuadendum.

Quomodo Iuſtitiæ partibus vtemur? Si aut innocentum, aut ſupplicum dicemus miſereri oportere. Si oſtendemus bene merentibus gratiam referri conuenire. Si demonſtrabimus vlciſci malè meritos oportere.

Si fidem cenſebimus magnoperè ſeruandam eſſe.

Si leges, & mores Ciuitatis dicemus egregiè ſeruari oportere.

Si Societates, atque Amicitias ſtudiosè coli oportere, dicemus.

Si quod ius in parentes, in Deum, in Patriam natura comparauit, id religiosè colendum demonſtrabimus.

Si Hoſpitia, clientelas, cognationes, affinitates caſtè colendas cohortabimur.

Si nec pretio, nec gratiâ, nec periculo, nec ſimultate à via recta oſtendemus oportere deduci.

Si dicemus æquabile ius in omnibus ſtatui conuenire.

His

Digitized by Google

His igitur partibus poterimus vti ad oſtendendum in conſilio aliquid eſſe iuſtum, & contrarijs ad demonſtrandum aliquid eſſe iniuſtum, & ſic apti erimus ad ſuadendum, & diſſuadendum pro re, de qua agetur.

Quomodo fortitudinis partibus vtemur? Si dicemus res magnas, & excelſas ſequi, & expeti oportere: & res humiles, & indignas viris fortibus contemnere, quòd dignitati ſuæ videantur non conuenire.

Item à nulla re honeſta ob periculi, aut laboris magnitudinem deduci oportere, antiquiorem mortem turpitudine haberi; nullo dolore cogi, vt ab officio recedatur, nullius pro rei veritate metuere inimicitias; omne pro patria, pro parentibus, & his rebus, quas iuſtitia colere cogit, adire periculum, & quemlibet ſuſcipere laborem.

Quomodo temperantiæ partibus vtemur? Si nimias ambitiones honoris, pecuniæ, ſimimiliumq́ue rerum vituperabimus. Si vnamquamque rem certo naturæ termino definiemus. Si quod cuique ſatis ſit, oſtendemus, nimium progredi in omni re diſſuadebimns, & modum vnicuiq. rei ſtatuemus.

Si

Si quis ſuadebit aliquid faciendum eſſe ab hiſce virtutibus, quomodo poterit alius diſsuadere, cùm nemo ſit, qui cenſeat à virtute recedendum eſſe? Tunc qui contradicet, non diſputabit contra veras, & meras virtutes, ſed dicet rem eam, de qua agetur, non ita ſe habere: & quam ille iuſtitiam vocarit, eſse potiùs iniuſtitiam, & rapacitatem: quam ille liberalitatem appellarit, hic prodigalitatem potiùs eſse oſtendet: quam ille prudentiam dixerit, hic dicet eſse potiùs ineptam, garrulam, & odioſam timiditatem: quam alius temperantiam nominauerit, hic negligentiam abſolutam appellabit: quam aduerſarius fortitudinem dixerit, nos dicemus eſse potiùs gladiatoriam,& inconſideratam temeritatem. ad quam facultatem nos maximè adiuuabit virtutum definitio, quæ omnes ita conſiſtunt in quadam mediocritate; vt per exceſsum, & defectum facilè in vitium tranſeant, & ſæpiſsimè vitium pro virtute, & virtus pro vitio habetur:vt ſi liberalitas, ſi modum exceſseris, tranſeat in prodigalitatem: ſi defeceris, in auaritiam. & ſic in

cæteris virtutibus, quæ in quodam medio poſitæ, duo vitia contermina à latere habent, ad quæ ſtatim declinant, ſi ab illo medio deceſserint.

Quid eſt laudabile? Quod conficit alicuius rei cōmemorationē & in præſenti, & in futuro.

Quomodo oſtendemus aliquid eſse laudabile? Si dicemus, id ſemper fuiſse maximæ curæ noſtris maioribus, vt Cic. in Orat. pro leg. Man. oſtendit. Salutem ſociorum cariſsimam fuiſse noſtris maioribus, quorum gratiâ grauiſsima bella ſumpſerunt, & ex ea re, quam eſse faciendam dicemus, magnam laudem, gloriam, & ſummum honorem, & publicè, & priuatim conſequi ſolere dicemus.

Quibus vtemur argumentationibus in genere Deliberatiuo? Iiſdem ferè, & eodem modo, quo in genere Iudiciali.

Si quis ſuadebit aliquid faciendum eſse à re tuta, vt in Saguntinorum obſidione, quibus locis vtetur ad confirmationem ſuę ſententiæ? His omnibus ferè à ſimilibus.

Nullam rem incolumitate vtiliorem eſse, virtutibus vti neminem poſse, qui ſuas ratio-

nes

nes in tuto non collocarit, nec Sanctos quidem eſse auxilio eis, qui ſe inconſultò in periculum mittunt. Honeſtum nihil oportere exiſtimari, quod non ſalutem pariat.
Si quis ſuadebit ab honeſto, quibus locis vtetur? His: Virtutem nullo tempore deſerendam eſſe, vel dolorem, ſi is timeatur, vel mortem, ſi ea formidetur dedecore, & infamiâ leuiorem eſſe. Necnon certos eſſe, illo deuitato periculo, in nullum aliud deinde periculum deuenturos. at ex hac re nos immortalitatem eſſe conſecuturos. Virtute ad mortem vltrò proficiſci eſſe præclarum. Fortitudini fortunam quoque eſſe adiumento ſolere, eum tutè viuere, qui honeſtè viuat, non qui in præſentia incolumis ſit, & eum qui turpiter viuat, incolumem in perpetuum eſſe non poſſe.
Quale de[illegible] eſſe Procemium in cauſis Deliber[illegible] Breuiſsi[illegible]m, eò quòd res ipſa de[illegible]r, & c[illegible]ur, ſatis facit Audi[illegible]atos [illegible] Cic. in Part. [illegible] eſse [illegible]n genere Delibe- [illegible]Quali[illegible] m in genere Iudi- [illegible]ua[illegible] ctum eſt. Scil. Breuis,

uis, Dilucida, & Probabilis.

Quibus concluſionibus vtemur in cauſis Deliberatiuis? Iiſdem ferè, quibus in Iudicialibus, præterquàm quòd plurima rerum antè geſtarum, & virorum clariſsimorum, qui hanc viam ſecuti ſunt, exempla afferemus, quæ maximam vim habent ad mouendum Auditorem.

Circa quæ verſamur potiſsimùm in ſuadendo? Circa vtile, honeſtum, neceſsarium, poſsibile, facile, decens. In diſsuadendo autem circa his contraria, hoc eſt, inutile, inhoneſtum, non neceſſarium, impoſſibile, difficile, indecens. id quod facilè videre eſt tum in Orationibus Ciceronianis, tum in Concionibus Liuianis.

De Confirmatione.

QVid eſt Confirmatio? Pars Inuentionis, qua argumentationes ſuas cum aſseueratione Orator exponit.

Quid eſt Argumentum? Ratio, quæ rei dubiæ aliqua re certa fidem Auditori faciat.

Vnde ſumuntur argumenta Oratoria? Ex his, quæ attribuuntur perſonis, & ipſis negocijs, de quibus agitur.

Quot

Quot ſunt ea, quæ attribuuntur perſonis? Vndecim. Nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, ſtudium, conſilia, facta, caſus, orationes.

Quid eſt Nomen? Quod vnicuique perſonæ imponitur, vt Verres, Cato, Catilina, Clodius, Milo, ſub quo continetur etiam prænomen, agnomen, & cognomen, de quibus in Donato, & Guarino reſtitutis. Nam ab his etiam argumenta deducuntur.

Quid eſt Natura Rhetoricè definiendo? Eſt quædam inclinatio animi, qua homines inducuntur, aut ad bene, aut ad malè agendum.

Quæ ſunt ea, quæ conſiderantur in Natura? Sexus, virilis, an muliebris. Natio, Græcus, an Latinus, an Barbarus. Patria Romanus, Venetus, an Florentinus. Cognatio, qua familia, quibus maioribus, quibus parentibus natus ſit. Aetas, adoleſcens, iuuenis, an ſenex: Præthereà commoda, aut incommoda à Natura animo, aut corpori data; validus, an imbecillus: formoſus, an deformis. Velox, an tardus. Acutus, an hebes, Prudens, an imprudens, &

 teme-

temerarius. Timidus, an audax, & cætera id genus.

Quid eſt Victus? Curſus, & modus vitæ, apud quos aliquis educatus ſit: quos artium liberalium magiſtros habuerit: quibus amicis, & ſocijs vtatur: quo artificio ſit occupatus: quomodo rem familiarem adminiſtret, & cætera, quæ ad vitæ curſum pertinent.

Quid eſt Fortuna Rhetoricè definiēdo? Conditio quædam hominum, qua quæritur, an aliquis liber, an ſeruus ſit, an libertus: pecunioſus, an tenuis. Priuatus, an in Magiſtratu, & cum imperio: nobilis, an ignobilis: & ſi de mortuo agatur, qua morte ſit affectus.

Quid eſt Habitus? Eſt perceptio, & quædam perfectio virtutis, aut alicuius artis, aut diſciplinæ, & ſcientiæ ſtudio, & induſtria comparata.

Quid eſt affectio? Commutatio animi, aut corporis, vt lætitia, cupiditas, metus, morbus, debilitas, & alia huiuſcemodi.

Quid eſt Studium? Vehemens occupatio animi ad aliquam rem applicata, vt ad Grammaticam,

maticam, Rhetoricam, Dialecticam, Philoſophiam, Iuriſprudentiam, Theologiam, ad Mercaturam, ad Reipublicæ adminiſtrationem.

Quid eſt Conſilium? Excogitata ratio aliquid faciendi, aut non faciendi.

Quid eſt Factum? Id, de quo ante Auditores ab Oratore agitur.

Quid eſt Caſus? Id, quod contingit præter hominum opinionem, & conſilia.

Quid eſt Oratio? Sermo, qui habetur ante factum, in ipſo facto, & poſt ipſum factum. Et hi omnes loci, ex quibus deducuntur argumenta, conſiderantur maximè in Conſtitutione Coniecturali.

De Attributis negotijs.

QVuot ſunt ea, quæ dicuntur Attributa negotijs? Quatuor, Continentia cum ipſo negotio, Geſta in ipſo negotio, Adiuncta ipſi negotio, Conſequētia ipſum negotium.

De Continentibus cum ipſo negotio.

QVot ſunt Cõtinentia cum ipſo negotio? Quinque, ſumma ipſius negotij, vt parentis occiſio, patriæ proditio, virginis ſtupratio. Cauſa, quæ hominem ad tale facinus impulerit.

Ante factum, vt concitus irâ gladium arripuit.

Dum fit, vt tribus vulneribus affecit, vno in capite ſecundum aurem, altero in ſtomacho, tertio in latere.

Poſt factum: vt in occulto loco cadauer ſepeliuit.

De geſtis in ipſo negotio.

QVot ſunt ea quæ conſiderantur in geſtione ipſius negotij? Quinque, locus, tempus, modus, occaſio, facultas, de quibus circumſtantijs dicemus in Narratione, de qua infra.

Quomodo conſideratur locus? Opportunus'nè fuerit ad id negotium committendum, quod cognoſcitur ex magnitudine, interuallo, longinquitate, propinquitate, ſolitu-

ſolitudine,celebritate naturæ ipſius loci,de quo agitur.

Pręterea ſacer, an profanus; publicus,an priuatus: proprius, an alienus.

Quomodo conſideratur tempus? Qua parte anni? Vere, an Aeſtate? Autumno, an Hyeme? Quo menſe? Quo die? Quota hora diei, noctis, dicamus illud crimen,de quo agitur eſſe factum.

Quomodo conſideratur modus? Quo animo, & quo rationis diſcurſu fecerit is, qui accuſatur,prudenter, an imprudenter? Clam, an palam? Vi, an ſponte ſua, an alicuius perſuaſione? Inſcitiâ, caſu, neceſſitate, an aliqua animi perturbatione, hoc eſt, odio, inuidiâ, iracundiâ, amore, &c.

Quomodo conſideratur occaſio? Cum Orator oſtendit quandam fuiſſe opportunitatem agendi, aut non agendi crimen illud, de quo agitur antè Iudices.

Quot genera habet occaſio? Tria, publicum, commune, & ſingulare.

Quid eſt publicum? Quod ciuitas vniuerſa aliquâ de causâ frequentat: vt ludi, ſpectacula, feſti dies, bellum, induciæ, pax.

Quid

Quid eſt Commune? Quod accidit omnibus eodem ferè tempore: vt meſſis, vindemia, calor, frigus, & alia huiuſcemodi, quæ certis, & ſtatutis temporibus veniunt.

Quid eſt Singulare? Quod alicui priuatim accidit, vt nuptiæ, ſacrificium, funus, conuiuium, ſomnus, & vigilia.

Quomodo conſiderantur facultates? Cum orator oſtendit, aut defuiſſe, aut non defuiſſe alicui vires, & cætera omnia, quæ ad tale negotium peragendum requiruntur.

De adiunctis negotio.

QVæ ſunt ea, quæ dicuntur adiuncta negotio? Quæ inſunt negotio, de quo agitur, ſed propter aliquam affinitatem ad id negotium affecta aſſumuntur ad confirmationem eius negotij, de quo ab Oratore agitur.

Quot ſunt ea, quæ dicuntur adiuncta, ſiuè affecta negotio? Decem, Maius, minus, æquè magnum, par, ſimile, diſſimile, contrarium, diſparatum, genus, pars, & euentus, à quibus omnibus deducũtur argumenta.

Quomodo ſumitur argumentum à maiori? Hoc

Hoc modo, Si bona exiſtimatio diuitijs præſtat, & pecunia tantoperè expetitur, quantò magis gloria eſt expetenda? Et illud Virgil. VII. Aen. *Tu potes vnanimes armare in prælia fratres*. Nam ex hoc infertur multò magis alienos. Et apud. Ter. Nam qui mentiri, aut fallere inſtituerit Patrem, audebit tantò magis & cæteros.

Quomodo ſumitur argumentum à minori? Hoc modo. Publius Scipio Naſica Pont. Max. Tyberium Gracchum mediocriter labefactantem Reip. ſtatum priuatus interfecit. Catilinam orbem terræ cæde atque incendijs vaſtare cupientem nos Conſules perferemus? Et apud Ter. Hic paruæ conſuetudinis.

Cauſa huius mortem fert tam familiariter. Quid ſi ipſe amaſſet? Quid hic mihi faciet patri?

Quomodo ſumitur argumentum à Pari? Hoc modo: vt apud Cic. in L. Piſonem. Nihil intereſt, vtrum ipſe conſul improbis concionibus, pernicioſis legibus Remp. vexet, an alios vexare patietur.

Quomodo ſumitur argumẽtum à Simili? Hoc modo

modo: vt Helena Troianis, ſic tu M.Antonii Ciuibus Romanis ſemen belli fuiſti. Et illud. Si feræ ſuos partus diligunt, qua nos in liberos noſtros charitate eſſe debemus?

Quomodo à Diſſimili? Hoc modo. Si barbarorum eſt in diem viuere, noſtra conſilia in ſempiternum tempus ſpectare debent. Et hoc. Si belluarum, quæ ratione carent, proprium eſt viribus certare, hominum eſt argumentationibus diſceptare.

Quomodo ſumitur argumẽtum à Contrario? Hoc modo, vt eſt apud Ter. Nam ſi illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit, quid facies illi, qui dederit damnum, aut malum? Item. Si Gracchus nefariè, præclarè Opimius.

Quomodo à Diſparato? Hoc modo. Si inſipit, nullo modo poteſt ſapere. Qui ſtat, non ſedet.

Quomodo à Genere argumenta ſumemus? Hoc modo. Si Magiſtratus in Pop. Rom. eſſe debent, quid Norbanum accuſas, cuius Tribunatus voluntati paruit ciuitatis.

Quomodo ſumitur argumentum à Parte? Hoc modo.

modo. Si omnes, qui Reip. conſulunt, chari nobis eſſe debent, certè in primis Imperatores, quorum conſilijs, virtute, periculis retinemus & noſtram ſalutem, & Imperij dignitatem.

Quomodo ſumitur argumentum ab Euentu? Hoc modo. Erubuit, ſalua res eſt. Nam poſt crimen ita ſolet euenire.

De Conſecutis negotium.

QVæ ſunt ea, quæ dicuntur Conſecuta negotium? Quæ conſilio, & voluntate hominum negotio tali ſunt impoſita, aut imponenda cenſuerunt, vt nomen facti E.g. Hoc appellatur furtum, illud ſacrilegium, hoc autem peculatus. Et qualem rem homines antè iudicarint, crudelem, tyrannicam, violentam, aut honeſtam, vtilem, & pro tempore congruam, vel contra. Deindè, quæ lex ſit eius rei, quæ conſuetudo, quod iudicium, quæ actio, quæ defenſio, & cætera huiuſmodi quæ ſint conſecuta de ſimili re, quæ aliàs venerit in iudicium.

De

De Argumentatione.

QVId eſt Argumentatio? Inuentum, quo Orator demonſtrat ex locis antedictis, aut probabiliter, aut neceſſariò.

Quid eſt neceſſarium? Quod aliter eſſe non poteſt, ac dicitur E.g. ſi ambulat, mouetur.

Quot modis tractatur Argumentatio neceſſaria? Tribus. Complexione, Enumeratione, ſimplici concluſione.

Quid eſt Complexio? Species argumentationis neceſſariæ, in qua vtrum conceſſerit aduerſarius, omninò conuincitur. Hoc modo. Si improbus eſt, cur vteris? Sin probus, cur accuſas? vt Cic. in Verrinis: Aut amicos confiteri Siculos neceſsè eſt, aut inimicos: Si amici, credamus teſtibus: ſi inimici, inuiti pecunias contulerunt.

Quid eſt Enumeratio? Species argumentationis neceſſariæ, in qua pluribus rebus poſitis, & cæteris infirmatis vna aliqua neceſſariò infirmatur, hoc pacto. Neceſsè eſt aut inimicitiarum causâ ab hoc eſſe occiſum,

ciſum aut metus, aut ſpei, aut alicuius amici gratiâ, aut ſi horū nihil eſt, ab hoc non eſſe occiſum. Nam ſine cauſa maleficiū ſuſceptum eſſe non poteſt, ſed neque inimicitiæ fuerunt, nec metus vllus, nec ſpes alicuius commodi ex illius morte, neque ad vllum ipſius amicum illius mors pertinebat. Relinquitur igitur, vt ab hoc non ſit occiſus. Sic Cic. in Verr. Si neque Carbo attigit, neque Sylla vidit, neque in ærarium relatum eſt. Reſtat igitur, vt tu Verres pecunias ſuſtuleris.

Quid eſt ſimplex concluſio? Species argumentationis neceſſariæ, in qua neceſſaria conſecutio conficitur E.g. Si vos me iſtud feciſſe eo tempore dicitis, ego autem eo ipſo tempore trans mare fui. Relinquitur, vt id, quod dicitis, non modò non fecerim, ſed ne potuerim quidem facere.

De Probabili.

QVid eſt Probabile? Id, quod naturâ, & hominum conſuetudine ſolet fieri: vt omnes matres filios diligūt, omnes nouercæ

cæ oderunt priuignos: ſiue quod in opinione poſitum eſt, vt impijs apud inferos pœnas paratas eſſe; Eos, qui philoſophiæ dant operam, non arbitrari deos curare negocia hominum priuata. Siuè quod aliquam ſimilitudinem ad aliquid aliud habet: vt Si is, qui patriam prodit, pœnam meretur: ille, qui eandem defendit, afficiendus eſt præmio.

Quot modis conſideratur ſimilitudo? Tribus, in contrarijs, paribus, & in cadentibus ſub eandem rationem.

Quomodo in contrarijs conſideratur ſimilitudo? Hoc modo: Si ijs, qui imprudenter læſerunt, ignoſci conuenit: ijs, qui neceſſariò profuerunt, haberi gratias non oportet?

Quomodo in paribus? Sic, vt locus in mari ſine portu, nauibus non poteſt eſſe tutus, ſic animus ſine fide amicis ſtabilis eſſe non poteſt.

Quomodo in ijs, qui ſub eandem rationem cadunt? Sic, ſi Rhodijs non eſt turpe locare portum, nec Hermacreonti quidem eſt conducere.

Quæ

Quæ ſunt ea, quæ dicuntur vera? Quæ vnicuique manifeſta ſunt: vt quoniam cicatrix eſt, fuit vulnus.

Quæ ſunt veriſimilia? Quæ ita prima facie videntur eſſe: vt ſi multus erat in calceis puluis, eum ex itinere venire oportebat.

Probabile in quot partes diuiditur? In quatuor. Signum, Credibile, Iudicatum, Comparabile.

Quid eſt Signum? Quod ſub aliquem ſenſum cadit, & quiddam ſignificat, quod fuit ante negotium, aut in ipſo negotio, aut poſt negotium: vt cruor, fuga, pallor, puluis, & cætera id genus, quæ tamen omnia teſtimonio indigent apud Iudices.

Quid eſt credibile? Quod ſine teſtibus Auditorum opinione firmatur. E.g. Nemo eſt qui non liberos ſuos incolumes, & beatos eſſe cupiat.

Quid eſt iudicatum? Eſt res aſſentione, authoritate, aut iudicio, aut alicuius, aut aliquorum comprobata.

Iudicatum in quot partes diuiditur? In tres, Religioſum, Commune, Approbatum.

Quid eſt Religioſum? Quod iurati legibus iudicarunt.

Quid eſt Commune? Quod omnes vulgò approbarũt, & ſecuti ſunt: vt Maioribus natu aſſurgatur, & vt ſupplicum miſereamur.

Quid eſt Approbatum? Quod homines, cum dubium eſſet quid de aliqua re ſentiendum eſſet, ſuâ conſtituerunt authoritate E. g. Cum Scipio interrogaretur, quid de nece Gracchi ſentiret? Reſpondit, iure caſum videri.

Quid eſt Comparabile? Quod in diuerſis rebus ſimilem rationem continet.

Comparabile in quot partes diuiditur? In tres, Imaginem, Collationem, & Exemplum.

Quid eſt Imago? Oratio demonſtrans corporum, aut naturarum ſimilitudinem, vt apud Virg. in 3. Aen.

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubeſceret æuo.

Quid eſt Collatio? Oratio, quæ res inter ſe diuerſas ex ſimili comparatione coniungit, vt idem in 1. Aeneid.

Ac veluti magno in populo, cùm ſæpè coorta eſt

Sedi-

Seditio, ſæuitq́ue animis ignobile vulgus,
Iamq́ue faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate grauem, ac meritis, ſi fortè virum, quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſq́ue auribus aſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quid eſt Exemplum? Quo rem aliquam hominis alicuius authoritate, aut negotij caſu hortamur, aut dehortamur. Hortando. Virg. 1. Aen.

Antenor potuit medijs elapſus Achiuis.
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontē ſuperare Timaui.

Dehortando Aeneid. 8.

——— *an non viderunt mœnia Troiæ,*
Neptuni fabricata manu, conſidere in ignes?

De modis Argumentandi.

QVot ſunt modi argumentandi? Duo, Inductio, & Ratiocinatio.

Quid eſt Inductio? Oratio, qua ex rebus nō dubijs, & ſimilibus illi rei, de qua agit Orator, conceſſis, cogit aduerſarium fa-

teri rem ita eſſe, aut ita erubeſcere, vt ſe conuictum fateatur. E. g. Dic mihi quæſo Xenophontis vxor, ſi vicina tua melius habeat aurum tuo, vtrùm illius, an tuum malis? Illius, inquit: Si veſtem illa, & cæterum ornamentum precij maioris habeat, quàm tu habeas, vtrùm tuum, an illius malis? Illius, reſpondit. Age verò, ſi illa meliorẽ virum habeat tuo, vtrùm'ne tuum, an illius malis? Tunc erubuit Aſpaſia, & ſe impudicitię conuictam rubore confeſsa eſt.

Qui'nam maximè vſi ſunt hac forma argumentandi? Socrates, & omnes Socratici, qui ex eo, quod aduerſarij concedunt, rem ſuam approbare ſolent.

Quot partibus conſtat Inductio? Tribus; Prima enim conſtat ex vna ſimilitudine, ſiue pluribus; Altera ex eo, quod concedi volumus; Tertia ex concluſione, quæ aut conceſſionem confirmat, aut quid ex ea conficiatur, oſtendit.

De

De Ratiocinatione.

QVid eſt Ratiocinatio? Oratio ex ipſis perſonis, & rebus, de quibus agitur, eliciens, quod expoſitum, & per ſe cognitum ſua ſe vi, & ratione confirmat.

Quot partibus poteſt conſtare Ratiocinatio? Ad ſummum quinque, Propoſitione, Ratione, Aſſumptione, Confirmatione, Complexione.

Quid eſt Propoſitio? Oratio, quod ſummam rei, quam volumus probare, proponimus.

Quid eſt Ratio? Oratio, qua affirmamus id, quod propoſitum eſt.

Quid eſt Aſſumptio? Id, quod ex vi propoſitionis aſſumimus.

Quid eſt Confirmatio? Oratio, qua confirmamus id, quod à nobis aſſumptum eſt.

Quid eſt complexio? Oratio, qua concludimus id, quod propoſitum eſt.

Da exemplum quinquepartitæ Ratiocinationis.

Propoſitio. Meliùs accurantur, quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur.

Ratio. Nam is exercitus,cui præpoſitus eſt Sapiens, & callidus Imperator, omnibus partibus commodiùs regitur; quàm is,qui ſtultitia, & temeritate alicuius adminiſtratur.

Aſſumptio. Nihil autem omnium rerum meliùs, quàm omnis mundus adminiſtratur.

Confirmatio. Nam & ſignorum ortus, & obitus definitum quemdam ordinem ſeruant, & annuæ commutationes, non modò quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt, verùm etiam ad rerum omnium vtilitates ſunt accommodatæ, & diurnæ, nocturnæque viciſſitudines nulla in re vnquam mutatæ quidquam nocuerunt.

Complexio. Ergo mundus conſilio adminiſtratur.

Poteſt'ne fieri ratiocinatio quadripartita? Maximè, quando propoſitio per ſe perſpicua nullâ indiget ratione, vel quando aſſumptio per ſe aperta non indiget confirmatione. Et quandoque tripartita, cum ſcilicet, nec propoſitio, nec aſſumptio appro-

probatione indigent.

Da exemplum Ratiocinationis quadripartitæ, in qua ratio propoſitionis continetur.

Propoſitio. Iudices, qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis.

Aſſumptio. Legibus autem obtemperare non poteſtis, niſi quod in illis ſcriptum eſt, ſequamini.

Confirmatio. Quod enim certius legis ſcriptor teſtimonium voluntatis ſuæ relinquere potuit, quàm quod ipſe magnâ curâ, & diligentiâ ſcripſit.

Complexio. Quòd ſi vos legibus obtemperare debetis, & id facere non poteſtis, niſi quod in legibus ſcriptum eſt ſequamini: quid cauſæ eſt, quin iſtum contra legem feciſſe iudicetis?

Da exemplum ratiocinationis quadripartitæ ſine confirmatione aſſumptionis.

Propoſitio. Qui ſæpè nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus.

Ratio. Si quid enim eorum perfidia detrimenti acceperimus, nemo erit præter noſmetipſos, quem iure accuſare poſſimus.

Ac primò quidem decipi incommodum eſt, iterum ſtultum, tertio turpe.

Aſſumptio. Carthaginienſes autem perſæpè nos fefellerunt.

Complexio. Summa igitur amentia eſt in eorum fidem ſpem habere, quorum perfidiâ toties ſis deceptus.

Da exemplum Ratiocinationis tripartitæ abſque ratione, & confirmatione.

Propoſitio. Aut Carthaginienſes metuamus, oportet, ſi incolumes eos reliquerimus, aut eorum vrbem diruamus.

Aſſumptio. At metuere quidem non oportet.

Complexio. Reſtat igitur, vt vrbem diruamus.

Da etiam exemplum Ratiocinationis bipartitæ, quæ interim accidere poteſt, & conſtare ſolùm ex propoſitione, & aſſumptione.

Propoſitio. Si peperit, virgo non eſt.

Aſſumptio. Peperit autem. Hìc nulla eſt opus approbatione propoſitionis, aut aſſumptionis; deinde per ſe conſequitur. Ergo non eſt virgo.

Quot modis capitur argumentatio? Duobus, vno

Digitized by Google

vno modo pro inuento probabili, aut neceſſario, quod animo concipimus, vndè à Græcis dicitur enthymema: altero pro explicatione ipſius inuenti, de qua ſuperiùs dictum eſt.

Debet'ne Orator ſemper vti artificioſa argumentatione, hoc eſt, primo loco ponere propoſitionem, ſecundo Rationem, tertio Aſſumptionem, quarto Confirmationem, quinto Complexionem, & ſequi ordinem præſcriptum? Minimè. Nam illud pareret ſatietatem, quæ maximè eſt deuitanda. Itaque licet incipere, quandoque ab Aſſumptione, quandoque à ratione & confirmatione, id quod cognoſces, ſi apud Oratores diligenter aduerteris, & ſuperiora poteris conuertere hoc modo.

Aſſumptio. Carthaginienſes Perſæpè nos fefellerunt.

Propoſitio. Stulti ſunt, qui ſemel decepti eorum rationi fidem habent.

Complexio. Summa igitur amentia eſt, in eorum fidem ſpem habere, quorum perfidiâ toties ſis deceptus.

De Confutatione.

QVid eſt Confutatio? Eſt contrariorum locorum diſſolutio: Eſt Cic. ad Herenn. quippe qui libro de Inuent. eandem etiam ſub nomine reprehenſionis definiēs: Reprehenſio, inquit, ſiuè Confutatio eſt Oratio, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleuiatur.

Vndè ſumitur materia Confutationis? Ex ijſdem locis, ex quibus Confirmatio, ſcilicet ex attributis perſonis, & negotijs.

Quid potiſſimùm ſeruandum eſt in Confutatione? Vt negemus, aut diminuamus, aut oſtendamus ea, quæ ab aduerſarijs dicta ſunt ſtare, & eſſe pro nobis.

Quot modis reprehenditur argumentatio facta ab aduerſarijs? Quatuor. Si aut ex ijs, quæ ſumpta ſunt, non conceditur aliquid vnum, plura'ue, aut his conceſſis complexio ex his confici negatur aut ſi genus argumentationis vitioſum oſtenditur: aut ſi contra firmam argumentationem alia

æque

æque firma, aut firmior apponitur.

Quot modis reprehenditur argumentatio, cum ex ijs, quę aſſumantur, non conceditur aliquid? Octo.

Si aut id, quod credibile dicunt aduerſarij, negatur eſſe huiuſmodi.

Aut quod comparabile putant, diſſimile oſtenditur.

Aut iudicatum in aliam partem traducitur.

Aut omninò iudicium improbatur.

Aut quod ſignum eſſe aduerſarij dixerunt, id huiuſmodi eſſe negatur.

Aut ſi complexio vna parte, aut vtrâque reprehenditur.

Aut ſi Enumeratio falſa oſtenditur.

Aut ſi ſimplex concluſio aliquid falſi demonſtratur habere.

Quomodo infirmatur credibile? Si perſpicuè falſum erit, vt Nemo eſt, qui non pecuniam, quàm ſapientiam malit, & ex contrario hoc modo: Quis eſt, qui non officij cupidior ſit, quàm pecuniæ? Aut ſi omninò erit incredibile, vt ſi quis, quem conſtet eſſe auarum, dicat alicuius mediocris officij causâ, ſe maximam pecuniam negle-

glexiſſe, aut ſi quod in quibuſdam rebus, aut hominibus accidit, id omnibus dicatur vſu venire, hoc pacto: Qui pauperes ſunt, ijs antiquior officio pecunia eſt. Qui locus deſertus eſt, in eo cædem factam eſſe oportet. In loco celebri homo occidi, qui potuit? Aut ſi id, quod raro fit, fieri omninò negatur, vt Nemo poteſt vno die, neque non laborans virtutem adipiſci.

Quomodo infirmatur comparabile? Si negatur illud eſſe ſimile huic rei, de qua agitur. Id fieri poterit, ſi demonſtrabitur diuerſum eſſe genere, naturâ, vi, magnitudine, tempore, loco, perſonâ, & opinione, &c. huius facultatis indigemus, cum ipſa argumentatio, quæ per inductionem tractatur, erit reprehendenda.

Quomodo infirmatur iudicatum? Vituperatione eorum, qui iudicauerunt, & oſtendemus illud iudicium à Sapientibus non eſſe, probatum, illud difficilius, & obſcurius fuiſſe, hoc verò, de quo nunc agitur, longè facilius eſſe, & alia eiuſmodi dicemus.

Quomodo infirmatur ſignum? Si aut negamus, aut parùm magnum fuiſſe dicamus,

aut

aut à nobis potiùs, quàm ab aduerſarijs.

Quomodo infirmatur complexio? Duobus modis, niſi ſit neceſſaria, nam ea nunquam reprehenditur conuerſione, aut alterius infirmatione. Hoc modo: Nam ſi veretur, quid eum accuſes, qui eſt probus. Sin inuerecundum animi ingenium poſſidet, quid eum accuſes, qui id parui auditu æſtimat. Hoc argumento aduerſarius vult concludere hunc non eſſe accuſandum. Ego autem ſic conuerſo, immò accuſandus eſt; nam ſi veretur, accuſes; non enim parui auditu æſtimabit: ſin inuerecundum, animi ingenium poſſidet, tamen accuſes, non enim probus eſt. Alterius autem partis infirmatione, hoc modo, reprehenditur: verùm ſi veretur, accuſatione tua ab errato recedet.

Quomodo infirmatur Enumeratio? Si oſtendemus aliquid prætermiſſum eſſe, aut aliquid infirmum adnumeratum. E.g.

Propoſitio. Quoniam habes iſtum equum: aut emeris oportet, aut hæreditate poſſideas: aut munere acceperis, aut domi tibi natus ſit, aut ſi horum nihil eſt, ſurripue-

pueris, neceſſe eſt.

Aſſumptio. Sed neque emiſti, neque &c.

Complexio. Neceſſe eſt ergo ſurripueris. Hic prætermiſſum eſt, aut ex hoſtibus captus eſt, quod ſi inferretur, enumeratio infirmabitur.

Da exemplum alicuius infirmi enumerati: Finge aduerſarios dixiſſe, aut inſidias facere voluiſti, aut amico morem geſſiſti, aut cupiditate ductus feciſti: reſpondebit reus, Amico morem geſſi. Id leue, & infirmum ex vtraque parte exiſtimabitur.

Quomodo ſimplex Concluſio infirmabitur? Si id, quod ſequitur, non videatur neceſſariò conſequi; nam ſi neceſſariò conſequitur, reprehendi non poteſt: vt ſi ſpiritum ducit, viuit. Si aurora ſurgit, fit dies. Verùm ſi de neceſſitate non conſequitur, poteſt reprehendi; vt ſi mater eſt, diligit filium: ſi aliquando peccauit, nunquam corrigetur. contra primum dici poteſt, quòd non omnis mater diligat filios. Nam Medea interfecit filios. contra ſecundum, quòd multi commiſſo vno peccato corriguntur.

Quo-

Quomodo infirmatur Complexio? Quando conceſſis propoſitione, & aſſumptione, tamen oſtendimus, id non conſequi, quod concluditur. E.g. aduerſarius vſus fuerit hoc argumento. Propoſitio. Si veniſſes ad exercitum, à Tribunis militaribus viſus eſſes.

Aſſumptio. Ab his autem non eſt viſus.

Complexio. Non es igitur profectus ad exercitum. In hoc igitur argumento conceſſa propoſitione, & aſſumptione, facilè complexio poterit refelli, qua non conſequitur, quòd non venerit ad exercitum, quia non ſit viſus à Tribunis militaribus.

Alterum exemplum argumenti.

Propoſitio. Si pecunia indigetis, pecuniam non habetis: ſi pecuniam non habetis, pauperes eſtis.

Aſſumptio. Indigetis autem pecunia.

Confirmatio. Mercaturę enim, niſi ita eſſet, operam non daretis.

Complexio. Pauperes igitur eſtis.

Hoc ſic reprehenditur, cum dicit ille, ſi indigetis pecuniæ, pecuniam non habetis, poteſt intelligi, ſi propter inopiam in egeſtate

eſtis,

eſtis, pecuniam non habetis: poteſt etiam ſic capi, cum ille aſſumit, indigetis pecuniâ, vultis pecuniæ plus habere. Ita non conſequitur, pauperes igitur eſtis.

Similiter in hoc exemplo.

Propoſitio. Si ad illum hæreditas veniebat, veriſimile eſt, ab illo eſſe necatum.

Aſſumptio. Ad illum autem hæreditas veniebat:

Complexio. Ille igitur hunc interfecit.

Non eſt valida hæc complexio.

De Concluſione.

Qvid eſt Concluſio, ſiue Peroratio, ſiue Epilogus? Eſt artificioſus terminus totius Orationis.

Quot modis fit Peroratio? Tribus, Quandoque fit per Enumerationem, quandoque per Indignationem, & quandoq. per Conqueſtionem.

Quid eſt Enumeratio? Quædam repetitio, per quam res diſperſæ, & diffuſę per Orationem dictæ, Vnum in locum coguntur, & reminiſcendi causâ in memoriam, & quaſi

ſub

ſub aſpectum audientium reducuntur.

Quas res breuiter debet colligere Enumeratio? Quæ in diuiſione, confirmatione, & confutatione ſunt copiosè dictæ.

Quid eſt Indignatio? Oratio, per quam, aut in hominem, aut in rem quampiam magnum odium, aut grauis offenſio concitatur.

Vndè ſumitur Indignatio? Ex ijſdem locis, & rebus, quæ perſonis, & negotijs ſunt tributæ, ex quibus naſcuntur etiam amplificationes, quæ à locis communibus materiam ſumunt.

Qui ſunt loci communes? Orationes amplificatiuæ in ipſa vitia, vt contra parricidam, furem, ſacrilegum, tyrannum &c. quæ tamen deinceps ad res, & perſonas priuatas, de quibus agitur, ab Oratore deducuntur.

Inductio indignationis cuius eſt propria? Accuſatoris, qui maximè ſuſcitat Iudices cõtra crimina reo obiecta.

Quomodo deducitur materia amplificandi per locos communes?

Primo ſi Orator commemorat quantæ curæ ea res fuerit maioribus noſtris, Regibus,

Magiſtratibus, Nationibus, hominibus ſapientiſſimis, Senatui, & quemadmodùm de his rebus ſit in legibus ſancitum.

Secundò ſi idem Orator demonſtrabit illud crimen, de quo agetur, pertinere, aut ad ſuperiores, aut ad pares, aut ad inferiores, &c.

Tertiò percontabitur Orator, quid ſit euenturum, ſi idem omnibus concedatur, & eâ re neglectâ oſtendet, quid periculorum, & incommodorum conſequatur.

Quartò ſi dicet Orator, ſi huic remiſſum ſit, multos deindè alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc expectatio huius iudicij remoratur.

Quintò ſi demonſtrabit, quòd ſi ſemel aliter iudicatum ſit, nullam rem poſteà fore, quæ huic incommodo poſſit mederi, aut perperàm factum, aut erratum iudicium, & vtetur comparatione aliorum criminum, oſtendens alia crimina fortè poſſe corrigi, ſed hoc nunquam poſſe, ſi E.g. de proditione patriæ ageretur.

Sextò ſi oſtendet Orator illud crimen conſultò factum, deindè ſubiunget facinoris voluntarij nullam excuſationem audiendam

dam eſſe, aut miſericordiam habendam, imprudentiæ iuſtam deprecationem eſſe paratam.

Septimò ſi oſtendet Orator, illud facinus eſſe tetrum, crudele, nefarium, & tyrannicum, vt ſi de raptu, aut ſtupro Virginis ageretur.

Octauò ſi oſtendet illud maleficium eſſe neceſſarium, & inuſitatum. Si E.g. de inceſtu ageretur.

Nonò ſi comparatione quadam oſtendet illud maleficium eſſe atrociſſimum. E.g. ſi dicet maius eſſe maleficium ſtuprare virginem ingenuam, quàm rem furari, quod alterum propter inopiam, alterum propter intemperantem ſuperbiam fiat.

Decimò ſi Orator exponet breuiter omnia, quæ ſint acta in gerendo negotio, & omnia, quæ conſequi ſoleant tale facinus.

Quid eſt Conqueſtio? Oratio Auditorum miſericordiam captans.

Quid faciendum eſt in Conqueſtione? Auditorum animi, placabiles, mites, miſericordes ſunt faciendi, quò faciliùs ad commiſerationem poſſint commoueri.

Vndè ſumitur materia commouendi miſeri-

cordiam? Ex attributis perſonis, & negotijs, & ex locis communibus.

Quomodò mouebimus miſericordiam? A locis communibus, qui vt nouem ſunt numero, ſic etiam ordine ſupponentur.

Si variam fortunarum commutationem dicemus.

Si oſtendemus, in quibus commodis fuimus, & in quibus incommodis ſumus quadam comparatione rerum præteritarum, præſentium, & futurarum.

Si quæ nobis futura ſunt, niſi cauſam obtinuerimus, enumerabimus, & oſtendemus.

Si ſupplicabimus, & nos ſub eorum, quorum miſericordiam captabimus, poteſtatem ſubijciemus.

Si quid noſtris parentibus, liberis, cæteriſq; neceſſarijs caſurum ſit propter noſtras calamitates, aperiemus, & ſimul oſtendemus, nos magis illorum ſollicitudine, & miſeria, quàm noſtris incommodis dolere.

Si de clementia, humanitate, miſericordiâ, qua in alios nos vſi ſumus, multa adducemus; nam qui miſericordiâ vtitur, & vſus eſt, dignus habetur miſericordiâ.

Si

Si oſtendemus nos diù, ac ſemper in malis fuiſſe.

Si noſtrum fatum, aut fortunã conqueremur.

Si demonſtrabimus animum noſtrum fuiſſe, & fore patientem multorum incommodorum.

Quid potiſſimùm ſeruandum eſt in commouenda miſericordiâ? Ne commotis animis audientium diutiùs in conqueſtione commoremur; nam vt Rhetor Appollonius: Lacrymâ nil citiùs areſcit.

De Diſpoſitione.

QVid eſt Diſpoſitio? Secunda pars Rhetorices, per quam ea, quæ inuenimus, in ordinem redigimus, vt vnumquodque loco ſuo aptiſſime dicatur.

Quot ſunt ſpecies Diſpoſitionis? Duæ, altera artificioſa, altera ingenioſa.

Quæ eſt Diſpoſitio artificioſa? Quæ ab arte prouenit, quæ præcipit, vt Orator vtatur Procemio, Narratione, Diuiſione, Confirmatione, Confutatione, & demum Concluſione.

Quæ eſt Diſpoſitio ingenioſa? Quæ prouenit ab ingenio & iudicio Oratoris ad cauſam, & tempus accommodata, vt ſi poſthabito procemio non neceſſariò incipiat à Narratione, aut ab aliqua firmiſſima argumentatione, aut ab alicuius aduerſariorum argumenti refutatione, vt Cic. pro Mil. priùs enim oſtendit licere quandoque hominem occidere, quod aduerſarij negauerant, deindè ad ſuam defenſionem venit, & narrat cædem Clodij partim ſub perſona accuſatoris, partim ſub perſona defenſoris.

Quæ diſpoſitio ſeruanda eſt in argumentationibus? Vt validiores in prima parte, validiſſimæ in poſtrema, debiliores in media collocentur. Quemadmodùm Homerus aciem extruxit in prælium deſcenſuram, vt milites fortiores à fronte, fortiſſimi à tergo ab Imperatore diſponantur, imbelles verò medium occupent locum.

De Elocutione.

QVid eſt Elocutio? Idoneorum verborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio.

Quid

Quid intereſt inter elocutionem, & eloquentiam? Elocutio ab eloquentiæ nomine ſeparatur ex Martiano Capella, quòd eloquentia totius operis Oratorij vis, atque virtus eſt. Elocutio verò pars tantùm habetur Officij Oratoris, vt per quam omnia, quæ mente conceperis (vt Quint.) promere, atque ad audientes proferre poteris, hinc illud quoque obſeruandum eſt, vt idem Quint. tradit lib. 8. quam Græci φράσιν Latini dicunt elocutionem. Vndè Cic. in primo de Orat. adducit M. Antonium dicentem, à ſe quidem diuerſos viſos eſſe multos, eloquentem autem neminem.

Quot ſunt dicendi formæ, ſiue figuræ? Tres ſublimis, quæ grauis, & grandiloqua etiam appellatur, vt Virg. in Aeneid. Attenuata, vt in Buccol. Mediocris, vt in Georg.

Elocutio quot virtutes debet habere? Tres, Elegantiam, Compoſitionem, Dignitatem.

Quid eſt Elegantia? Quædam verborum delectio, & collocatio, quæ facit, vt vnaquæq; res purè, & apertè dici videatur. quot partes diuiditur Elegantia? In duas,

Latinitatem, & Explanationem.

Quid eſt latinitas? Incorrupta dicendi obſeruatio ex vſu Authorum Latinorum.

Quot vitia deuitanda ſunt in latinitate? Duo potiſſimùm, ſolœciſmus, & Barbariſmus.

Quid eſt ſolœciſmus? Vitium in contextu partium Orationis contra præcepta artis Grammaticæ, vt ſi quis diceret Imperator ſe in caſtris receperunt pro, in caſtra ſe recepit.

Quid eſt Barbariſmus? Vitium, quod committitur in pronunciatione dictionum, non ſeruato legitimo, & vſitato accentu, vt peribere p.c. pro p.p. ſiuè in ſcriptura non ſeruata orthographia.

Quid eſt Explanatio? Quædam rerum perſpicuitas, quæ apertam, & dilucidam reddit Orationem.

Explanatio quot rebus conſtat? Duabus, verbis vſitatis, & proprijs.

Quę ſunt verba vſitata? Quæ in ſermone, & conſuetudine quotidiana apud doctos verſantur.

Quæ ſunt propria? Quæ illi rei, de qua agitur, conueniunt, aut per Metaphoram ac-

com-

commodantur, vt ſi dico, Aues volant, proprium eſt: vela volant, metaphora eſt.

Quid eſt Compoſitio? Verborum conſtructio æquabiliter perpolita.

Quid maximè deuitandum eſt in Compoſitione? Ne collocemus plures dictiones incipientes, & deſinentes per Vocales, quę faciunt indecentem hiatum in prolatione, quia vocales omnes pronunçiantur ore adaperto, & ne inſeramus dictiones ab ijſdem conſonantibus incipientes, quale eſt illud Ennij:

O Tite, tute tati, tibi tanta Tiranne tuliſti.

Prætereà ne dictio ſequens incipiat à fine ſuperioris dictionis; vndè Cicero deriſus eſt in eo carmine,

O fortunatam natam, me conſule, Romam.

Quid præterea ſeruandum eſt in Compoſitione? Ne verborum continuatio, hoc eſt, ipſa periodus ſit nimis longa, quæ & Auditorum aures, & Oratoris ſpiritum lædat.

Quid eſt Dignitas? Quædam ſublimitas, quæ reddit ornatam Orationem varietate diſtinguens.

Qui-

Quibus rebus conſtat Dignitas? Verborum & ſententiarum exornationibus.

Quæ ſunt verborum exornationes? Dicendi figuræ, quæ conſiſtunt in quadam verborum venuſtate.

Quæ ſunt ſententiarum exornationes? Dicendi figuræ, quæ non tam in verbo, quàm in ipſis rebus optimè collocatis digniorem reddunt Orationem.

Quæ differentia eſt inter exornationes verborum, & ſententiarum? Hæc, quòd exornationes ſententiarum, mutato ordine verborum, modò ipſæ ſententiæ congruè dictæ maneant, exornationes etiam remanent: at verborum exornationes, mutato ordine verborum, exornationes non remanent.

De Repetitione.

QVid eſt Repetitio? Exornatio, qua idem verbum in principio trium, aut quatuor membrorum continenter repetimus. E.g. Scipio Numantiam ſuſtulit. Scipio Carthaginem deleuit: Scipio pacem

peperit : Scipio Ciuitatem ſeruauit.

Quibus rebus conuenit hæc exornatio? omnibus Generibus, & Figuris, & Orationis partibus, præcipuè tamen Confirmationi, Confutationi, & Concluſioni.

De Conuerſione.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVid eſt Conuerſio? Exornatio, qua non primum, vt in ſuperiori, ſed vltimum verbum in fine repetimus, vt Pœnos Pop. Romanus iuſtitiâ vicit, armis vicit, libertate vicit, potentiâ vicit. item Florentini ingenio præſtant, fide præſtant, multarum rerum cognitione præſtant.

Quibus rebus accommodanda eſt hæc exornatio? Tribus generibus, graui figuræ, confirmationi, confutationi, & concluſioni.

Quid eſt Complexio? Exornatio, quæ vtramque ſuperiorem complectitur, in qua primum verbum in principio, & poſtremum in fine clauſulæ, ter, aut quater, aut ſæpius repetitur, vt

Qui ſunt qui fœdera ſæpè ruperunt? Carthaginienſes.

Qui

Digitized by Google

Qui ſunt, qui errati veniam petunt? Carthaginienſes.

Quibus rebus applicari poteſt hęc exornatio? Tribus generibus, graui figurę, confirmationi, & confutationi.

De Traductione.

QVid eſt Traductio? Exornatio, qua idem verbum in clauſula crebriùs ponitur, diuerſis tamen in caſibus, quæ Auditoris animum nihil offendit, ſed orationem concinniorem reddit: vt ſapientiam, & eloquentiam in primis vos amplectemini. Nam eloquentiæ cum ſapientia coniũctæ tantus honor communiter exhibetur, vt homines ſapientiâ, & eloquentiâ præditi, tantum alijs hominibus præſtant, quãtum ipſi homines beſtijs. Et in ciuitatibus viri Sapientes, & eloquentes rerum adminiſtratione potiſſimùm præſunt.

Eſt etiam Traductio, cum idem verbum voce, ſed diuerſa ſignificatione ponitur, vt Iucundum eſt amari, ſi curetur, ne quid amari inſit. Item Meretrices in iuuentute

merent-

merent, in ſenectute autem mœrent.
Quibus rebus quadrat hæc Exornatio? Tribus generibus, omnibus figuris, Narrationi, confirmationi, & confutationi.

De Contentione.

QVid eſt Contentio, quæ Græca voce Ἀντίθετον Antitheton dicitur? Exornatio, quæ conſtat ex verbis, & ſententijs contrarijs, & vim habet maximam ad reprehenſionem, vt Habet aſſentatio iucunda principia: Eadem etiam exitus amariſſimos affert. item Multi ſunt, qui in hominum conſpectu de virtutibus loquuntur, in receſſu autem vitijs ſe totos tradunt. Quippe quæ figura fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur, vt Vicit pudorem libido, timorem audacia. vel ſi bina binis, Nam noſtri ingenij, veſtri auxilij eſt. vel ſententię ſententijs, Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Ita Quintil. lib.9.cap.3. Aquila Rom. vocat, oppoſitum ex contrarijs. Dupliciter fit in oratione. nam vel dictiones inter ſe, vel affirmatio, & negatio opponuntur. Qui-

Quibus rebus adhiberi ſolet hæc exornatio? Generi Iudiciali, Graui, & Mediocri figuræ, Confirmationi, & Confutationi.

De Exclamatione.

QVid eſt Exclamatio? Exornatio, quæ aliquâ re expoſitâ ad dolorem, aut indignationem, aut commiſerationem, aut admirationem Auditorum animos inducit, quale eſt hoc exemplum: Te nunc alloquor, Africane, cuius nomen ſplendori, & decori eſt noſtrę ciuitati. Tui clariſſimi nepotes ſuo ſanguine inimicorũ crudelitatem abluerunt; item. O' mores non ferendos! ò audaciam inauditam!

Quibus rebus apta eſt hæc Exornatio? Omnibus generibus, & præcipuè Iudiciali, graui figuræ, & concluſioni potiſſimùm.

De Interrogatione.

QVid eſt Interrogatio? Quæ habet vim maximam ad inſtandum, & cogendum aduerſarium, rem ita eſſe, vt nos dicimus:

hoc

hoc modo. Cum igitur hæc omnia faceres, diceres, ſic adminiſtrares, vtrùm animos ſociorum à Rep. remouebas, & alienabas, an non? item. Audes'ne hoc dicere? non'ne vides id omnibus patere? non'ne ſentis te nullo modo poſſe effugere? Græcè Ερώτησις, Hermog. rogatio, quæſtio.

Quibus rebus conuenit hæc Exornatio? Generi Iudiciali, graui figuræ, confirmationi, & confutationi.

De Ratiocinatione.

QVid eſt Ratiocinatio? Exornatio, qua proponimus, deindè cauſam nos ipſi interrogamus, demum rationem ſubijcimus: vt Maiores noſtri hoc benè compararunt, vt neminem Regem, quem armis cepiſſent, vitâ priuarent: quid ità? Quia quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paulò ante in ampliſſimo ſtatu collocarat. quid quòd exercitum contraduxit? Deſino meminiſſe.

ſe. Quid ita? Quia viri fortis eſt, qui de victoria contendat, eos hoſtes putare, qui victi ſunt, eos homines iudicare. quare? Vt poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere: at ille ſi viciſſet, non profectò tam indulgens fuiſſet. cur igitur ei parcis, quia talem impietatem contemnere, non imitari conſueui. item.

Ratiocinatio Græcè λογισμὸς ratio, ratiocinatio. Ariſt. in Rhet. Et Σῦλλογισμὸς Quintil. interprete.

Quibus rebus hæc ratiocinationis exornatio poteſt adaptari? Omnibus generibus maximè Iudiciali, & Deliberatiuo, omnibus dicendi figuris, Confirmationi, & confutationi.

De Sententia.

QVid eſt Sententia? Exornatio, quæ aliquid ad vitæ humanę vtilitatem ſpectans, continet, & quandoque eſt ſimplex, hoc eſt, ſine ratione: vt is liber eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſeruit. Quandoque duplex, hoc eſt cum ratione, hoc modo:

modo: Omnes viuendi rationes in virtute ſunt collocandæ; propterea quòd ſola virtus in ſua poteſtate eſt. Omnia præter eam ſubiecta ſunt ſub fortunæ dominatione.

Item. Talis vnuſquiſque habetur, quales ſunt hi, quorum conſuetudine delectatur.

Item. Nulla eſt hominum vita, quæ moleſtiâ careat. Omnes enim homines pro ſuæ vitæ genere aliquâ vexantur curâ.

Græcè Γνώμη, ης, ἡ. Hinc Γνωμικὴ περίοδος, Periodus ſententioſa, & arguta ſententijs, cum in omnes aliquid dicitur, vt apud Terent. Amantium iræ, amoris redintegratio eſt, inquit Donatus ibidem.

Quibus rebus aptiſſima eſt hæc exornatio? Omnibus generibus, & dicendi figuris, Procemijs, & confirmationi.

De Contrario.

QVid eſt Contrarium, quod Græcè Antitheſis, latinè contentio, controuerſia, contradictio, obiectio contraria, oppoſitio, dicitur? Exornatio, quæ ex duabus rebus diuerſis conſtat, ita vt alteram breuiter, &

facilè confirmet, hoc modo: Qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, quomodo rebus alienis eum fore amicum ſperes? Item. qui amicos, cognatos, parentes fallit, qua ratione cum alijs fidelem fore credendum eſt?

Quibus rebus applicari poteſt hæc exornatio? Generi Iudiciali,& Deliberatiuo,graui figuræ, Confirmationi, & Confutationi.

De Membro.

QVid eſt Membrum, quod κῶλον, Græcè, & Latinè colum, conuertitur? Exornatio, quæ ſenſum aliquem aperit, & aliquid agit in animo, ita tamen, vt poſt primum ſenſum alius ſequatur, quo animus Auditoris conquieſcat: vt, Inimico proderas, amicum lædebas, tibi ipſi non conſulebas.

Item. Tibi dixeram: te admonueram, conſilium meum nihil profuit. Fit interdùm in ſingulis verbis: vt dictum illud Cæſaris. Veni, vidi, vici.

Κῶλον, κ, τ. clariùs, ideſt, membrum, inquit Romanus Aquila,eſt pars orationis ex pluribus verbis abſolutè aliquid ſignificans, hoc modo: Et ſi vereor, Iudices, ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere.

Quibus rebus applicanda eſt hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, & omnibus partibus Orationis.

De Articulo.

QVid eſt Articulus? Exornatio, qua plura verba ſine copula poſita vocis interuallo in pronunciando diſtinguuntur: vt Acrimoniâ, voce, vultu aduerſarios perterruiſti.

Item. Tuâ prudentiâ, iuſtitiâ, fortitudine, temperantiâ ampliſſimos quoſque honores noſtræ Ciuitatis es conſecutus.

Quibus rebus hæc exornatio accommodatur? Omni generi, Iudiciali præcipuè, omni figuræ,graui potiſſimùm Confirmationi, Confutationi, & Concluſioni.

De Continuatione.

QVid eſt Continuatio Græcè περίοδος, ου, ἡ, & Latinè hæc periodus, di, dicta? Exornatio, qua multa verba frequentantur cum abſolutione ſententiarum, & commodiſſima fit tripartitò: Sententia, Contrario, & Concluſione: Hoc modo.

Sententia.

Ei non multum poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi in virtute firmiùs, quàm in caſu præſidium collocauit.

Contrarium.

Nam ſi quis ſpei non multum collocauit in caſu, quid eſt, quod ei magnoperè caſus obeſſe poſſit?

Concluſio.

Quòd ſi in eos plurimùm Fortuna poteſt, qui rationes omnes in caſum intulerunt, non ſunt omnia committenda Fortunæ, ne magnā nimis in nos habeat poteſtatē. Itē

Sententia. Qui vitijs obnoxius eſt, is nullo pacto liber eſſe poteſt.

Contrarium. Nam quæ libertas in eo eſſe po-

poteſt, qui vitiorum ſit ſeruus.

Concluſio. Quòd ſi ita eſt, vt reuerà eſt, vitijs deditus, nullo pacto poteſt eſſe liber.

Quibus rebus commoda eſt hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, Confirmationi, & Confutationi.

De Membro, quòd Compar dicitur.

QVid eſt Membrum Compar? Exornatio, quæ continet duo, aut tria membra eodem ferè ſyllabarum numero conſtantia, hoc modo:

In prælio mortem pater oppetebat; domi filius nuptias comparabat. Hæc omnia graues caſus adminiſtrabant.

Item. In vita humana nihil certi habetur: quibuſdam hominibus Fortuna dat fælicitatem, quoſdam homines humiles virtus extollit: quoſdam verò nobiles fatum deprimit.

Quibus rebus aptatur hæc exornatio? Omni

ni generi, omni figuræ, omnibus partibus Orationis.

De ſimiliter Cadente.

QVid eſt ſimiliter Cadens? Exornatio, qua plures caſus in eundem exitum finiunt, hoc modo: Hominem laudas egentem virtutis, abundantem fælicitatis.

Item. Minimas ciuitates, maximas facit concordia: maximas verò, & ampliſſimas, minimas reddit diſcordia.

Quibus rebus aptanda eſt hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, confirmationi, & confutationi.

De ſimiliter Deſinente.

QVid eſt ſimiliter deſinens? Exornatio, qua plures dictiones caſu carentes, ſimiles exitus habent: hoc modo, Viuis inuidiosè, delinquis ſtudiosè, loqueris odiosè. Quandoque ſimul coniunguntur & hæc, & ſupe-

Digitized by Google

ſuperior ; vt Perditiſſima ratio eſt virtutis bona negligere, fortunæ bona appetere.

Quibus rebus adhiberi poteſt hæc Exornatio? Omni generi, Demonſtratiuo præſertim, omni figuræ, omnibus partibus Orationis.

De Adnominatione.

QVid eſt Adnominatio? Exornatio, qua plures dictiones, voce ſimiles, ſignificatione diſſimiles, aut additis, aut detractis, aut mutatis litteris, aut ſyllabis, magna cum feſtiuitate collocamus: hoc modo, Multos auium dulcedo ducit ad auiarium.

Item. Hic profectò in recitanda hac oratione, non tàm Orator, quàm arator mihi viſus eſt.

Fit mutatione caſuum vnius nominis, & quandoque plurium: vt Alexander Macedo ſummo labore animum ad virtutem à pueritia confirmauit. Alexandri virtutes per Orbem terræ cum laude, & gloria vulgatæ ſunt. Alexandro ſi vitia longior

fuiſſet, Oceanum Macedonum nomen tranſuolaſſet. Alexandrum omnes maximè metuerunt, & plurimùm dilexerunt. Ab Alexandro Darius Rex Perſarum ſuperatus eſt.

Adnominatio, ſiuè Annominatio, vel adſictio Græcè παρονομασία. quæ ſcribitur etiam per omicron, & quidem eodem verbo quaſi contraria augentur. Terent. in Andr. Inceptio eſt amentium haud amantium. De qua figura Quintil. lib. 9. cap. 3. & Beroaldus in 3. Philippicam Ciceronis. Idem Ruffinianus. Veteres ſimilia dicebant, vt Cic. Minùs charum putauit fore de armario, quã quod de Sacrario fuiſſet ablatum.

Quibus rebus apta eſt hæc Exornatio? Omni Generi, Demonſtratiuo præcipuè, omni figuræ, & humili præſertim Narrationi, & concluſioni.

De Subiectione, quæ etiam Enumeratio dicitur.

QVid eſt ſubiectio? Exornatio, qua aduerſarios interrogamus, quid contra nos

dici

dici poſſit; deindè ſubijcimus id, quod dici oportet, quod ſit pro nobis, & contra nos, hoc modo.

Quæro igitur, Iudices, vndè iſte tàm pecunioſus ſit factus?

Amplum patrimonium relictum eſt.

At Patris bona venierunt:

Hæreditas aliqua obuenit:

Non poteſt dici. Nam à neceſſarijs omnibus exhæredatus eſt. Pręmium aliquod ex lite, aut iudicio cepit: Non modò id, non fecit, ſed etiam inſuper ipſe grandi ſponſione victus eſt. Ergò ſi his rationibus locupletatus non eſt, ſicut omnes videtis, aut iſti domi naſcitur aurum; aut vndè licitum non eſt, capit.

Item. Mater quæ Romæ educata eſt pro dote marito tradidit, atque ita ad filium peruenit.

Nequaquam id dici poteſt, nam quæ ancilla ſeruitutem ſeruierat, quaſdam tegulas, quę vix decem aureolos valebant pro dote ad maritum tulit.

At induſtria, & arte nautica pecuniam ſibi acquiſiuit, qua hoc nauigium comparauit.

Imò

Imò nunquam è Veneto portu ſoluit.

Herus, qui cum vixit, & diù ſeruiuit, ei dono dedit.

At ille pannorum mercaturam exercebat, nauigia nunquam habuit.

Si igitur nullis his rationibus hoc nauigiũ ſibi comparauit, reſtat, vt ſolùm furto ad eum peruenerit.

Subiectio ὑποτύπωσις, εως. ἡ. Enumeratio verò κατάλογος, ου, ὁ. Græcè dicitur.

Quibus rebus congrua eſt hæc exornatio? Generi Iudiciali, & Deliberatiuo, graui figuræ, Confirmationi, & Confutationi.

De Gradatione.

QVid eſt Gradatio? Exornatio, qua veluti per gradus ab iiſdem verbis ad eadem verba, diuerſo caſu poſita aſcendere videmur: hoc modo.

Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit.

Item. Quo tempore Romam migraui, ad Eccleſiæ gubernacula ſedebat Paulus V. Romanus, poſt Paulum V. delectus eſt Pontifex

tifex Gregorius XV. Bononiẽſis,poſt Gregorium XV. Vrbanus VIII. poſt quem Innocentius X. cui Deus Opt. Max. vitam diuturnam, floridoſque annos concedat, vt ſanctiſſimè,quemadmodũ hucuſque fecit,Eccleſiam Dei longo tẽpore gubernet.

Gradatio Græcè κλίμαξ, κος ν', & aſcenſus quibuſdam dicitur.

Quibus rebus aptanda eſt hæc Exornatio? Generi Demonſtratiuo præcipuè, mediocri, & humili figuræ, narrationi,& perorationi.

De Definitione.

QVid eſt Definitio? Exornatio, qua rei alicuius proprietas breuiter, & abſolutè oſtenditur, hoc modo: Maieſtas Reip. eſt, in qua cõtinetur dignitas, & amplitudo ciuitatis.

Item. Iuſtitia eſt animi virtus, quæ vnicuiq. quod ſuum eſt, tribuit.

Hæc exornatio percommoda eſt,quando ambigitur de vero nomine alicuius virtutis. E. g. Quam tu fortitudinem appellas, temerita-

meritatem ipſe dico. Nam fortitudo eſt contemptio laboris, & periculi cum ratione vtilitatis, & compenſatione commodorum. Temeritas verò eſt cum inconſiderata dolorum perpeſſione gladiatoria periculorum ſuſceptio.

Quibus rebus aptanda eſt hæc Exornatio? Omni generi, graui figuræ, Confirmationi, & Confutationi, & pernecesſaria conſtitutioni definitiuæ. Definitio Græcè dicitur Ὁρισμός, fitque ex Iul. Rufino, cum definimus aliquam rem noſtræ cauſæ ad vtilitatem, neque tamen contra communem opinionem.

De Tranſitione, ſiue Tranſgreſſione.

QVid eſt Tranſitio? Exornatio, qua oſtendimus breuiter, quid diximus, & quid deinceps dicturi ſumus, hoc modo: In Patriam cuiuſmodi fuerit, habetis, nunc in Parentes, qualis extiterit, conſiderate.

Item. De fortunæ bonis hactenùs diximus, nunc

nunc ad animi bona tranſeamus.

Hæc Exornatio reficit Auditoris animum, & ad cætera, quæ ſequuntur, facit attentum.

Eadem figura dicitur variatio, aut tranſitus, Græcè Metaſtaſis, vel Metabaſis, Μετάστασις, εως, ἡ vel Μετάβασις εως, ἡ cum à perſona ad perſonam tranſitum facimus ratione aliqua, vel affectu. Iul. Ruf. & P. Rutilius Lupus.

Quibus rebus conuenit hæc Exornatio? Omni figuræ, partibus Orationis, præterquàm Diuiſioni, & Concluſioni.

De Correctione.

QVid eſt Correctio Græcè Ἐπανόρθωσις εως, ἡ? Exornatio, quæ poſito vno verbo, aliquod melius, ac vehementius reponit: vt, O Virtutis comes inuidia, quæ bonos omnes inſequeris, imò inſectaris.

Item. Si frater tuus hoc rogauiſſet noſtrum Principem, id facillimè impetraſſet.

Hęc Exornatio facit Auditorem arrectiorē, quàm ſi ſtatim ad optimum, & electiſſimum

mum verbum Orator deueniret.
Quibus rebus applicatur hęc Exornatio? Omni generi, Omni figuræ, omnibus partibus Orationis, & maximè confutationi, & confirmationi.

De Occupatione.

QVid eſt Occupatio? Exornatio, qua diſſimulamus velle aliquid dicere, & tamen interiectione verborum ita dicimus, vt maiorem ſuſpicionem in animis Auditorum relinquamus, quàm ſi inapertè diceremus: hoc modo, De pueritia quidem tua, quam tu omnium intemperantiæ addixiſti, plura poſſem in medium afferre, ſi hoc tempus idoneum putarem.
Item. Multa prætereo, quæ de te poſſem dicere, niſi rationem haberem horum virorum, apud quos me pudet dicere ea, quæ nihil te puduit facere.
Occupatio in Rhet. ad Herenn. dicitur, Græcè παράληψις, omiſſio, prætermiſſio, præteteritio. In qua figura velut ex abundanti
enu-

Digitized by Google

enumerantur adiecta, vt apud Ter. in Phor. tu conijcito cætera, quid ego ex hac inopia nunc capiam, & quid tu ex iſta copia: vt ne addam, quod ſine ſumptu ingenuam, liberalem nactus es &c.

Quibus rebus hæc exornatio commoda eſt? Omni generi, omni figuræ, omnibus partibus orationis, præterquàm Diuiſioni.

De Diſiunctione.

QVid eſt Diſiunctio? **Exornatio**, qua aut duas ſentētias, aut plures vno ſuo verbo concludimus, **hoc modo**: **Formæ** dignitas, aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate extinguitur.

Item. Pop. Romanus Numantiam deleuit Carthaginem ſuſtulit, Corinthum diſiecit Fregéllas euertit.

Item. Eloquentiam natura parit, ars nutrit, imitatio amplificat, exercitatio perficit.

Item. Pompeius bello maritimo Pyratas ſumma celeritate ſuperauit, Mithridatē debellauit, Tygranem ſupplicem in Regnum reſtituit,

ſtituit, Triumphum omnium pulcherrimum meruit.

Græcè poteſt dici διαζευξις, εως, ἡ. quaſi diuortium, vel ſeparatio, aut ſeiugatio.

De Coniunctione,

QVid eſt Coniunctio Grecè συνδεσμος, ας, ἡ. Exornatio, qua verbum in medio poſitum, partes ſuperiores, & inferiores complectitur, hoc modo: formæ dignitas, aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate.

Item. Hominis fœlicitas in virtute conſiſtit, aut in animi tranquillitate.

De Adiunctione.

QVid eſt Adiunctio? Exornatio, qua verbum aut in principio poſitum, aut in fine plura comprehendit. In principio, hoc modo: Defloreſcit formæ dignitas, aut morbo, aut vetuſtate. In fine ſic: Aut morbo, aut vetuſtate formæ dignitas defloreſcit.

floreſ-

floreſcit. Item Locupletantur homines, aut diuitijs induſtriâ partis, aut hæreditate relictis. vel ſic, Aut diuitijs induſtriâ partis, aut hæreditate relictis homines locupletantur.

Hæ tres Exornationes, quæ inter ſe quandam affinitatem habent, quibus rebus conueniunt? Omni generi, omni figuræ, & omnibus partibus Orationis.

De Conduplicatione.

QVid eſt Conduplicatio, Græcè διπλασιασμὸς ἢ ὁ? Exornatio, qua aut indignationis, aut commiſerationis, aut admirationis gratiâ vnum verbum, aut plura conduplicantur: hoc modo, Audes in horum conſpectum venire proditor patriæ, proditor, inquam, patriæ venire audes in horum conſpectum? Item. Vos moueant patris lacrymæ, vos moueat domus nobilitas, vos moueant tanti viri præclara facinora, vos moueant vulnera, quæ pro patria fortiter pugnando, non à tergo, ſed à pectore accepit. Item. O facinus inauditum! ò facinus, inquam, intolerabile!

Breuiter igitur Conduplicatio eſt eiuſdem vnius, vel plurium verborum iteratio. Cic. ad Her.

Quibus rebus adhibetur hæc Exornatio? Generi Iudiciali potiſſimùm, graui figuræ, confirmationi, confutationi, & Epilogo.

De Interpretatione.

QVid eſt Interpretatio? Exornatio, qua idem alijs verbis dicitur, hoc modo: Patrem nefariè verberaſti, parenti manus intuliſti. Item. Patriam prodidiſti. Patriam ipſe manibus hoſtium Imperatori tradidiſti.

Ἑρμηνεία, ας, ἡ, Græcè, Latinè Interpretatio, vel oratio, explicatio, ſermo, traductio, verſio, narratio, elocutio, dictio. Interpr. Hermog.

Quibus rebus accommodanda eſt hæc Exornatio? Generi Iudiciali, graui, & mediocri figuræ, confirmationi, confutationi, & concluſioni.

De Commutatione.

QVid eſt Commutatio? Exornatio, quæ duæ ſententiæ contrariæ collocantur, ita vt altera pendeat ab altera, & prior affirmatiuè, poſterior verò negatiuè ponatur, hoc modo: Homines debent edere, vt ſolùm viuant, non autem viuere, vt ſolùm comedant. Item. Philoſophi debent philoſophari, vt Deum eſſe affirment, non autem philoſophari, vt Deum eſſe negent.

Græcè Μεταβολή, ῆς ἡ. à Cic. loci mutatio dicitur, & loci commutatio.

Quibus rebus applicari poteſt hæc Exornatio? Generi Demonſtratiuo, & Deliberatiuo, mediocri, & humili figuræ, confirmationi, & confutationi.

De Permiſſione.

QVid eſt Permiſſio? Exornatio, qua nos, & omnia noſtra & poteſtati, & voluntati Iudicum permittimus, hoc modo: ex Cic. ad Her. lib.4. Quoniam omnibus rebus ſubreptis, ſolùm mihi ſupereſt animus, & corpus, hæc ipſa de multis, quæ

mihi ſola relicta ſunt, vobis,& veſtræ condono poteſtati.

Item. Hoc in bello amiſi duos alios filios, vnicam gnatam. hic ſolus mihi ſupererat, quem meæ ſenectutis baculum ſperabam: ſed quoniam iniquæ fortunę ita placet, me ipſum, & filium vobis trado, dicite, facite de nobis, decernite quicquid vobis libuerit.

Quibus rebus aptari poteſt hæc Exornatio? Generi Iudiciali, graui figuræ, & perorationi.

De Dubitatione.

QVid eſt Dubitatio? Exornatio, qua Orator dubitat, vtrum de duobus,aut quid de pluribus potiſſimùm dicat, hoc modo: Tu iſtud auſus es dicere, ò homo omnium mortalium? Nam quo te digno tuis moribus appellem nomine?

Item. Tot, tantaque huius ſceleſtiſſimi viri crimina ſunt, vt ipſe dubitem, vnde incipiam,& quę ex his maiora exiſtimem,cum omnia ſint minima.

Ἀπορία,ας ἡ, præter indigentiam,penuriam,dif-

ficul-

Digitized by Google

ficultatem, inopiam, egeſtatem, &c. ſignificat etiam dubitationem, controuerſiam, &c. hinc Ἄπορον, genus quoddam controuerſiæ dicitur, ideſt, dubium, quod latinis non nimis incommodè inexplicabile dici poteſt. Ex Gell. lib.9.c.15. Et Ἀμφιβολία, ας, ἡ ambiguitas, dubium. Et hæc eſt item figura orationis, quæ fit vitio compoſitionis, quando oratio in alium, atque alium ſenſum interpretari poteſt.

Quibus rebus aptè applicari poteſt hęc Exornatio? Generi Iudiciali, graui figuræ, confirmationi, & confutationi, & amplificationi maximè.

De Expeditione.

QVid eſt Expeditio, quæ fortaſsè Græcè poſſet dici εἰσβολή? Exornatio, qua compluribus rationibus enumeratis, quibus aliqua res aut fieri, aut non fieri potuerit, cæteræ tolluntur, vna relinquitur, quam nos intendimus. Hoc autem non tam ſchema eſt, quàm argumentationis genus, quod per enumerationem fieri, dictum eſt: hoc modo, Neceſſe eſt, cum conſtet, iſtum no-

ſtrum fundum fuiſſe, oſtendas te aut vacuum poſſediſſe, aut vſu tuum feciſſe, aut emiſſe, aut hæreditate tibi veniſſe. Vacuum, cum ego adeſſem, poſſidere non potuiſti: tuum etiam nunc vſu feciſſe non potes: Emptio nulla profertur, hæreditate tibi, me viuo, mea pecunia venire non potuit. Relinquitur ergò vt me vi de meo fundo deieceris. Item. Cum iſte annulus noſtræ familiæ inſigni ſit inſignitus, vt omnibus videre licet, quo vultu audes dicere, iſtum eſſe tuum? Neceſse eſt enim te ab aliquo emiſſe, aut tibi ab aliquo noſtræ familiæ donatum eſſe, aut hæreditate aliqua ad te perueniſſe. Emiſti minimè. nullum enim venditorem proferre potes, nec ſanè donatus: Nam nullus noſtræ familiæ tibi vnquam fuit amicus. Nulla hęreditate ad te peruenire potuit. Nulla tibi cognatio, aut affinitas eſt cum noſtra familia. Quæ omnia cum ita ſint, ſupereſt ſolùm id, quod omnibus patet, te mihi annulum meum furto ſubripuiſſe.

Quibus rebus conuenit hæc Exornatio? Generi Iudiciali, graui figuræ, confirmationi,

&

& confutationi, & argumentationi conie-ćturali.

De Diſſolutione.

QVid eſt Diſſolutio? Exornatio, qua plura membra ſine copula, ſerie quadam continuata collocantur, hoc modo: Gere morem parenti, pare cognatis, obſequere amicis, obtempera legibus. itē Accinge te huic oneri: ſtude omnia facere: tolle omnem moram: fuge omnem ſegnitiem.

Hæc Græcè διάλυσις ἀσύνδετον, Cic. in Partit. & ad Herenn.

Quibus rebus commoda eſt hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, omnibus partibus Orationis, Narrationi potiſſimùm.

De Præciſione.

QVid eſt Præciſio, ſiuè Reticentia? Exornatio, qua rem inchoatam interrupimus, ita vt maiorem ſuſpicionem in animis Iudicum relinquamus: hoc modo, Tu iſta nunc audes dicere, qui nuper alienę domi non auſim dicere, ne, cum te digna dixero, me indignum cuipiam dixiſſe videar.

item ; Plura poſſem dicere de hoc tam impio, quàm ſcelerato equite, ſed religionis gratia conticeo. Nolo enim vnius ſceleratiſſimi causâ multos de religione malè ſentire.

Reticentia à Cic. dicitur, à Celſo obticentia, nonnulli interruptionem appellant, quidã præciſionem, vt apud Terent. in Eunuch.

Ego te furcifer, ſi viuo. Sed iſthuc quicquid eſt expedi. vbi ſubaudiendum verbum *vlciſcar*. Græcis dicitur iſta figura, ἀποσιώπησις, ἡ. Præciſio verò eiſdem, Περιτομή, ῆς, ἡ. qua voce S. Paulus pro circumciſione ſumens, omnes Iudæos complectitur, ſicut contra, Præputij nomine omnes Ethnicos.

Quibus rebus congruere poteſt hæc Exornatio? Generi Iudiciali, graui figuræ, confirmationi, confutationi, & amplificationi.

De Concluſione.

Quid eſt Concluſio? Exornatio, qua ex ante dictis, aut factis aliquid probabiliter, aut neceſſariò concludimus: hoc modo, Propoſitio. Quodſi Da-

nais

nais datum erat Oraculum, non poſſe capi Troiam ſine Philoctetæ ſagittis: Aſſumptio. Hæ autem nil aliud fecerunt, niſi quod Alexandrum perculerunt. Concluſio. Hunc extinguere,id nimirùm capi fuit Troiam.

Item. Propoſitio. Si omne aurum, & argentum legatum eſt Vxori: Aſſumptio, Hæc autem vaſa ſunt argentea. Concluſio, Hęc vaſa nimirùm Vxori ſunt legata.

Concluſio, nobis etiam latinis Epilogus dicitur, Græcis itidem Ἐπίλογος, κ. ὁ, ideſt, peroratio, licet hæc pars extrema Orationis ſit, quaſi iam dictorum enumeratio.

Quibus rebus applicanda eſt hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, confirmationi, & confutationi.

De decem Exornationibus, quæ omnes ferè continentur ſub Tranſlatione, aut Abuſione, & priùs de ipſa Nominatione.

QVid eſt Nominatio, Græcè Ονομασία? Exornatio, qua nomina, & verba fingimus, cum deſunt nobis propria: aut

quæ

quæ habemus, non ſatis nobis idonea videntur, quod ſit gratiâ imitationis, aut ſignificationis. Gratiâ imitandi hoc modo, vt Maiores noſtri rudere, vagire, murmurare, & ſibilare appellauerunt. Et Virg. Taratantara dixit pro tubæ cantu. Significandæ rei causâ, ſic: Poſtquã iſte impetum in Remp. fecit, fragor Ciuitatis in primis eſt auditus. item, Poſtquam iſte in hac cauſa orare cœpit, vlulatu ſuo omnes perterrefacit. Hic enim poſitum eſt ly *vlulatu* pro clamore, tanquam ad exprimendam rem vocabulo magis idoneo Author ad Heren. lib. 4.

De Pronominatione.

QVid eſt Pronominatio, Græcè Αντονομασία, ας· ἡ Antonomaſia, Latinè Permutatio nominis, à Quintil. fictio dicta? Exornatio, qua loco proprij nominis aliquod aliud ponitur non ſine venuſtate ſiue Epitheton, ſiue patronymicum: vt ſi quis loquens de Gracchis dicat: At non Africani nepotes iſtiuſmodi fuerunt; ſic & Poetam pro Homero vſurpamus, & Philo-

ſo-

ſophum pro Ariſtotele, & Apoſtolum pro Paulo. Hæc Exornatio Poëtis, quàm Oratoribus, eſt familiarior.

Quot ſunt loci, ex quibus figuræ huius trahitur vſus? Octo numerantur ab Eburone. I. Ab animo euocatur, vt Peripateticæ Doctrinæ Princeps, pro Stagirita: Stoicæ diſciplinæ auctor pro Zenone: Parens eloquentię pro Cicerone: Rigidus morum Cenſor pro Catone. II. A corpore, vt Polyphemus pro homine vaſto: Therſites pro deformi: pro Puſillo Pigmeus. III. A fortuna, vt Irus pro Paupere: Creſus pro diuite. IV. A proprio nomine loci Cynthius, vel Patareus pro Apolline, Cyprides pro Venere: Mantuanus pro Virgilio. V. A proprio nomine agnationis, ideſt patris, vel aui, vt Lyeda pro Helena. Acacides pro Achille, & ſic deinceps reliqua Patronymica. VI. A nomine proprio aliquo pro appellatiuo, vt Nero pro crudeli: Cæſar pro forti: Annibal pro aſtuto: Sinon pro perfido. VII. A nomine appellatiuo loco proprij, vt Poëta pro Homero: Orator pro Cicerone: huc pertinet triplex definitio,

vna

vna à cauſis, vt animal rationis particeps pro homine: altera à Notatione vt ſacra lex pro Hieronymo: omnia amãs pro Pamphilo: Tertia à Deſcriptione, ſiuè circumlocutione: vt Euerſor Carthaginis, & Numantiæ pro Scipione: Scriptor Troiani belli pro Homero. VIII. A quantitate, vt apud Aſtronomos Mars, Iuppiter ab officij magnitudine ſunt planetæ nominati, & Pallas Minerua. Ad hanc Exornationem reducunt nonnulli Epitheton. Epitheta enim, quæ Orationem corroborant ſunt quædam verborum, & nominum inſignia, quæ non ſolùm Exornationis, ſed etiã breuis deſcriptionis officio funguntur, vt cum Virgilius Aeneam vocat inſignem pietate virum. Plato voluptatem malorum omnium eſcam dicit, vel cum I. B. Smachiam nominamus integerrimum Archipresbyterum Montis Virginij, & Monſanctopolitanæ patriæ decus. Hæc à Cicerone in Partitionibus ad nomen adiuncta dicuntur, à Quintil. appoſita, à Priſciano, cæteriſque Grammaticis adiectiua, quippe quæ ſiunt ſæpè, & in ſubſtantiuis, & in

adie-

adiectiuis, & in aduerbijs. In ſubſtantiuis, vt Catilina proditor patriæ, vultur, & vorago omnium criminum. Lex Ciuitatis eſt anima. Iuſtitia communis omnium vita. Andreas Ciauarnellius ſpes noſtræ ciuitatis, Iuris, & Iuſtitiæ patrocinium. In adiectiuis, vt homine auaro nihil eſt egentius: Cicero fuit Oratorum eloquentiſſimus: Pater Lucidus Mancinellus Ordinis Min. S.Franciſci à M.D. Pauli omni ſcientiarum genere, & varietate auctus, & cumulatus. In Aduerbijs, vt à tanto Viro, non ſolùm ſui generis, & famæ, ſed etiam ingenij, & virtutum omnium Heros Alexander glorioſè eſt relictus.

Quatuor ſunt fines potiſſimùm Epithetorum. Vnus eſt in dictionis amplificatione, vt Cicero Princeps Eloquentiæ. Pariſianus publici noſtri conſilij lumen, & decus iuſtitię. Alter in Diminutione, vt mollis, & ieiuna Oratio, quaſi formam quandam præſefert rudis, & impoliti ingenij. Tertius in laudatione, vt Eruditio optima Orationis ſuppelles: vltimus demum in vituperatione, vt metus perfidus, & aſtutus: homo inimi-

cus, procax, & maledicus.

De Denominatione.

QVid eſt Denominatio, quæ Metonymia Græcè dicitur? Exornatio, quę à rebus propinquis nomen alicui rei imponit, vt ſi quis ponat Inuentoré pro re inuenta, vt dictum illud in omnium ore frequentiſſimum: Sine Cerere, & Baccho friget Venus. ſiue ab effectu aliquid denominemus, vt Pallida Mors, Pigrum frigus. aut quod continet pro eo, quod continetur, vt Armis Italia vinci non poteſt, nec Græcia diſciplinis. Italia hic pro ipſis Italis, & Græcia pro ipſis Græcis ponitur, vel auctorem pro opere, vt Terentius ſemper in manibus eſt habendus. ſeù pro exercitu ducem, vt Annibal ad Cannas LX. millia Romanorum occidit. Facit ad vehementiam interdum hæc figura, vt ſi quem Baccho deditum eſſe dixeris, id nimirum ardentiùs eſt, quàm ſi vino.

Μετωνυμία, ας, ἡ, Latinè etiam tranſnominatio, nominis pro nomine poſitio, quæ & hypallage Quintil. lib.8. cap.6. Tropus cum

Inuen-

Inuentor pro re inuenta ponitur, hoc eſt cauſa pro effectu, & huiuſmodi, vt ſupra, ideſt, Bacchus pro vino à verbo itidem Græco Μετωνομάζω, μ άσω π, αxα transnomino Υ'παλλαγη', ῆς ή, hypallage eſt figura, cũ oratio inuerſa vice profertur, diuerſitas, ſubalternatio, permutatio. Item, quæ Latinè correctio eſt, vt ſi dicas, Non iratus, ſed inſanus, hæc & Μετωνυμία dicitur. Quintil. lib. 8. cap. 6. & lib. 9. cap. 3. Lexicon Græco-latinum.

De Circuitione.

QVid eſt Circuitio, quæ Periphraſis dicitur? Exornatio, qua id, quod vno verbo dici poteſt, pluribus verbis non abſque ſumma venuſtate dicitur, hoc modo: Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit. Venetorum conſilium, & prudentia furorem, & temeritatem Turcarum in dies comprimit. ſic teneros ouium depellere fœtus, ideſt agnos. Et Cic. Poteſt, inquit, mihi denegare occupatio tua: pro, tu tantis negocijs occupatus.

Græcè Περίφρασις, εως, ή, Latinè circumlocutio,

cir-

circuitus loquendi: circuitio à Ter. dicitur in Andria, Nihil circuitione vſus eſt. Hæc figura fieri debet, aut ornandæ rei cauſâ, quæ pulchra eſt: aut vitandę, quæ turpis eſt. Virtus eſt vicina μακρολογία, Latinè ſermo nimiùm prolixus Quintil. lib. 8. cap. 6. & lib. 9. cap. 1.

De Trangreſſionè.

QVid eſt Tranſgreſſio Græcè Μετάβασις, ex P. Rutilio Lupo, vel Μετάστασις ex Iulio Rufo? Exornatio, quæ non ſine elegantia permutat ordinem verborum, aut peruerſione, aut traiectione: Peruerſione, hoc modo: Hoc vobis arbitror datum eſſe pietate pro veſtra. item, Te propter hoc ſolùm feci. Traiectione verò ſic: Omnes inuidioſè eripuit tibi benè viuendi caſus facultates. item: Quas poſſumus tibi in præſentia agimus, verùm longè maiores ſemper habebimus gratias.

De Superlatione.

QVid eſt Superlatio, quæ Gręcè ὑπερβολὴ Hyperbole dicitur, & à Quintil. ſuperiectio,

riectio, à quibuſdã verò exceſſus, vel exuperantia, nimia copia, redũdantia, pręcellẽtia, excellẽtia? Exornatio, qua augẽdi gratiâ Orator veritatem excedit, & fit quandoque ſeparatim, quandoque per Comparationem. Separatim, hoc modo: Si concordiam retinebitis in Ciuitate Imperij magnitudinem, ſolis ortu, & occaſu metiemur. item, Si te eloquentię ſtudio totum tradideris (mihi crede) tua fama ad Sydera vſque adibit.

Per Comparationem ſic: Ab ore Neſtoris melle dulcior fluebat oratio. item, Tantus erat clamor prǽliantium, & pereuntium, vt is auditus ſit ab Oriente vſque ad Occidentem. ſic Niue candidior: & Virg. V. Aen. fulminis ocyor alis. item, Vix oſſibus hærent. Idem Ecloga III. Denique fit ὑπερβολὴ (ex Rufin.) cum veritatem excedit ſententia. Ex Quintiliano etiam lib. 9. cap. 2. & lib. 8. cap. 4. & 6. Ideò tranſgreſſio veritatis, vel ſupra modum veritatis ſuperlatio.

De Intellectione.

QVid eſt Intellectio, quę Græcè Συνεκδοχὴ, ſynecdoche dicitur? Exornatio, qua totum pro parte, & pars pro toto, & vnus pro pluribus, & plures pro vno, & genus pro ſpecie ponuntur. item, res confecta ex materia monſtratur: ſequentia ex præcedentibus, & præcedentia ex ſequentibus. Totum ex parte intelligitur. Ridiculum ſeu lepidum caput, pro homine. Os impudens pro impudenti homine. tectum pro domo, puppis'ue prora pro naui.

Contra, Pars ex toto: vt, Ingens à vertice pontus, pro fluctus. Cœlum rubet, hoc eſt, aliqua cæli pars. item, Claſſis ſubuerſa, & hoſtes cæſi dicuntur, licèt bona pars euaſerit.

Vnus ex pluribus intelligitur. Cic. Populo impoſuimus, & Oratores viſi ſumus, pro ego impoſui, & viſus ſum Orator. item, Quot gemitus, quot ſingultus, quot ſuſpiria ab imis pectoribus traxi, pro ab imo pectore. Plures ex vno ſignificantur. Liu. Romanus prælio victor, pro Romani victo-

res

res. Virg. Hoſtis habet muros, pro hoſtes habent. item, Vterumq́ue armato milite complent, pro armatis militibus.

Genus pro ſpecie ponitur. Iracundior Hadria, pro quouis tempeſtuoſo mari. Notus vel Auſter, pro quolibet vento. inde Horat. Luctantem Icaris fluctibus Africum mercator metuens.

Res confecta ex materia monſtratur. Ouid. fixit ſua pectora ferro, ideſt, gladio. Pinus, vel abies, pro naui, quæ ex pino, vel abiete conficitur. argento metitur auarus omnia, pro pecunia.

Sequentia ex præcedentibus, vt Virgineam ſoluit Zonam, pro corrupit. Soluere Româ pro diſcedere.

Pręcedentia ex ſequentibus. Hic pallet, ergo timet: fugit, & ſolitudini ſe mandat; igitur ſibi conſcius eſt.

Breuiter Synecdoche dictio eſt plus, minus'ue pronuncians, quàm ſignificans. De hac figura vide Quintil. lib. 8. cap. 6. & lib. 9. cap. 3.

De Abuſione.

QVid eſt Abuſio, Græcè Catachreſis Κατάχρησις, εως, ἡ· dicta? Exornatio, qua pro certis, & proprijs, ſimilibus, & propinquis verbis vtimur, vt ſi quis dicat, Vires hominis breues ſunt, pro paucę. Hic homo eſt parua ſtatura, pro breui. Hic valet multo conſilio, pro magno. Habuiſti magnam orationem, pro longam, & prolixam.

Audi, pauco ſermone rem omnem expediam, pro breui.

Sic dici poteſt parricida, qui vxorem occidit, cum propriè ſit, qui parentem occidat.

Denique cum nomen à primo ſuo, ac proprio ſignificato ad rem nomine proprio carentem transfertur, vt oculus vitis.

De Translatione.

QVid eſt Translatio, quæ Metaphora Grecis dicitur, & ſcribitur Μεταφορά, ᾶς, ἡ? Exornatio, qua vocabulum ex proprio ſignificato transfertur in aliud propter ſimilitu-

litudinem, vt mitem hominem vocamus agnum, hominem ferum vrſum, libidinoſum ſuem, Iudæos canes, Chriſtum reſurgentem Leonem.

Fit quandoque breuitatis cauſâ, vt Recens aduentus exercitus ſubitò ciuitatem extinxit.

Item fit gratiâ vitandę obſcœnitatis, vt huius mater quotidianis nuptijs delectatur. Hic enim nuptijs ſignificat eam eſſe impudicam.

Interdum augendi gratiâ: vt Nullius vrbis calamitas iſtius explere inimicitias, & nefariam crudelitatem ſaturare potuit. ſic ſitire pro expetere: Nec honores ſitio, nec deſidero gloriam. Fit quoque exornandi gratiâ. Chriſtianorum vires, quæ iniquâ, & impiâ Turcorum conſpiratione, & hæreticorum perfidia exaruiſſe videbantur, tandem virtute, & optimatum conſilio reuireſcere cœperunt, & breui tempore vt priùs eas etiam floreſcere videbimus.

Metaphoræ cauſa eſt etiam neceſſaria, cum verbum proprium deeſt, quomodo gemmam in vitibus dicunt ſitire ſegetes, fru-

ctus laborare, hominem durum, & aſperum.

Fit denique, quia ſignificãtiùs rem exprimit, hoc eſt, meliùs ante oculos ponit, vt cum dicimus lumen Orationis, generis claritatem, concionum procellas, eloquentiæ flumina, ſegetem aut materiam glorię. item, hic tumultus Italiam ſubito terrore expergefecit. Mira eſt M. Tullij Ciceronis in tranſlatis verbis eloquentię commendatio, incredibilis propè ſuauitas, inquit Farneſius: Quid acies ingenij, flumen Orationis, verborum fulmina, quæſtionum tempeſtates, & procellæ, argumentorum laquei, ignorantiæ tenebræ? Ex his, aut alijs huius generis non difficile eſt iudicare, quantum metaphora dignitatis habeat, & acrimoniæ. Eius fontes ſunt potiſſimùm duo, ſenſus, & corpus vitæ particeps; ex quibus deinceps vtrinque multi manant riuuli. A ſenſibus, vt ab auditu: malè audire dicitur is, qui ab omnibus laceratur iniquo ore. Ter. an auſcultem ſenem, ideſt obtemperem. Ab oculorum ſenſu, vt mentis oculos perſtringit libido, dementia ob-

ca-

cæcatus, ferre in oculis. Ab olfactu. Tu velim, quem habeas exitum, odorere, ideſt, indagere. A guſtu. Cic. tuas litteras ſæpè reguſtaui, primis labris aliquid deguſtare, hoc eſt, læuiter attingere. A tactu. Extremis digitis aliquid attingere, pro intelligere.

Ex altero fonte ſex ſcaturiunt metaphoræ riuuli.

Cuius redditur ratio ab eodem Henrico. quòd corpus, ex quo illi fluunt, aut expers eſt, aut particeps animæ, hoc rurſus eſt vel ratione carens, vel vtens, ex quo duo, cum vtrumque transferatur ad alterum, conſtituuntur metaphoræ loci. Illud, ideſt, ratione carens, vel eſt ſentiens, vel non ſentiens. ſentientis ratio transfertur ad illud, quod ſentit, & non ſentit, & contra non ſentientis conditio ad id, quod viget ſenſibus, & ſenſu caret, qua ex re quatuor item manant metaphoræ riuuli, quorum hæc ſubijciuntur exempla.

1. Ab eo, quod ratione vtitur ad expers rationis, vt perfida vulpes, ſuperbus Leo, prudens formica, facundus pſitacus, mi-

tis agnus, ingratus lupus, crudelis tygris, aſſentator canis.

2. Ab eo, quod caret ratione, ad id, quod particeps eſt rationis, vt cum latrare, ſubringi, grunnire, ſuſurrare aliquis dicitur.

3. A ſentiente ad non ſentiens, vt exultant ſegetes, admirantur ſiluæ, iratum mare, currit aqua, ſquallent mœnia.

4. Ab eo, quod non ſentit ad ſentiens: vt truncus & ſtipes diſcipulus; tecta ipſa vrbis mœrent, templa gemunt.

5. Ab eo, quod viget ſenſibus, ad id, quod ijs non caret vt mali corui, malum ouum.

6. A non ſentiente ad non ſentiens vt Sicilia Cella penaria Reip. à Cic. eſt dicta, voluptas, vt inquit Plato, eſca malorum omnium, tempus anſam porrigit rerum omnium.

De Permutatione.

QVid eſt Permutatio, quam è Græcis quidam Allegoriam vocant, Quintilianus inuerſionem? Exornatio, qua aliud verbis dicimus, aliud ſenſu ſignificamus. Sic Allegoria, quæ eſt perpetua quædam metapho-

phora: vt Vino vendibili ſuſpenſa hedera non eſt opus. &, Quò magis ignis tegitur, eò magis æſtuat.

Fit Permutatio tribus modis, per ſimilitudinem, Argumentum, & Contrarium.

Per ſimilitudinem, hoc modo: ſi canes funguntur officio luporum, cui'nam præſidio pecuaria noſtra credemus? Canes, ideſt, præſides, qui depredatores ſunt ſubditorum. Vbi ſimilitudo eſt inter paſtores, & præſides. Ad quæ Saluator quoque noſter in Euangelio alludit, & Prophetę frequenter. item. Coruis ignoſcimus, columbas inſectamur.

Per argumentum, augendi, aut minuendi cauſâ, à perſona, aut à loco, aut ab aliqua re: vt, ſi quis dicat Liuium Druſum alterũ Gracchum demonſtrando ſcilicet Liuium Druſum non minùs ſeditioſum ipſo Graccho, ſed quaſi ſeditioſior Graccho, & ipſa auget, vel ſi quis appellet aliquem nobilem, ignobilem factum, Numitorem, obſoletum, ideſt, ſitu, immunditiaq. victũ, quòd minuendæ dignitatis eius dicatur, quia Numitor ciectus erat de Regno.

Per

Per contrarium, vt ſi quis prodigum illudens, parcum,& rerum ſuarum diligentem appellet. Si quis etiam appellaret intemperantem, alterum Hyppolitum, aut Bellerophontem.

Huius generis eſt etiam deriſio illa in Neronem, hoc Diſticho à Suet. poſita:

Quis neget Aeneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic Matrem, ſuſtulit ille Patrem.

Hæ decem Exornationes ſupraapoſitæ quibus rebus conueniunt? Omni generi, omni figuræ, omnibus partibus Orationis, præterquam narrationi, & diuiſioni, & frequentiſſimæ ſunt non modò apud Oratores, ſed etiam Poëtas, & Hiſtoricos.

Subijciuntur Allegoriæ.

AEnigma, Græcum eſt Αἴνιγμα, ατος, τὸ, obſcurum, inuolucrũ, ſcirpus, ideſt obſcurè dictum, dictũ nubilum, & fluxuoſa ambages, quæ eſt Oratio, è qua propter obſcuritatem nil certi colligitur: vt mater me genuit, eadem mox gignitur ex me. De glacie ex aqua concreta & rurſus in eandem

dem reſoluta Cic. lib.2.Epiſt. ad Atticum, In epiſtolis me Lælium,te Furium faciam. Virg. Ecloga III. Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo) Treis pateat Cœli ſpatium non ampliùs vlnas.

S. Hieronymus in cap.19.Ezechielis Prophetæ, Nulli dubium eſt, inquit, ænigma, & parabolam aliud præferre in verbis, aliud tenere in ſenſibus. Idem S.Hieronym. vel vt volunt alij, Beda Venerabilis in cap. 1. Prouerb. Salomonis, Aenigma eſt quæſtio obſcura, quę difficilè intelligitur, niſi aperiatur. Allegoria obſcurior à Quintiliano dicitur cap.6. lib.8.

Paræmia Græcè flectitur & ſcribitur παροιμία, ας. Prouerbium,quo inſcribuntur à Græcis Salomonis Prouerbia, celebre dictum quod paſſim per ora hominum obambulet, vt Aduerſus ſtimulum calces. Lupum auribus tenes, Surdo fabulam narras. Lupus eſt in fabula,ideſt,quando ſermo nobis eripitur, per præſentiam eius, de quo loquebamur. Παροιμία, vt ſcribit Donatus eſt ſine authore Sententia.

Scarcaſmus hoſtilis irriſio, ſubſannatio, & ama-

amara inſultatio. Virg.Aen.XII. En agros, Et quam bello Troiane petiſti Hexperiam metire iacens, Idem Aen.X. vbi nunc Mezentius acer, & illa effera vis animi? Et: Leuce nulla tuos currus fuga ſegnis equorum Prodidit. &c. A Rufiniano Clenaſmos hæc figura dicitur. Eſt ironiæ proxima figura, cum aliquos amarâ oratione non ſine deriſo inſectamur, ac lædimus. Latinè dicitur Inſectatio. Græcè Σαρκασμός, ȣ̃, ὁ.

Aſtiſmus Græcè Ἀστεισμὸς, ȣ̃ ὁ, vrbanitas, ciuilitas. vrbanitas cum quid faceta vrbanitate expolitur. Virg. Ecl.III. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui: Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos. Philippus cum vellet Perſas in ſuam redigere poteſtatem, & in hos exercitum miſiſſet, ſcripſit milites à ſe miſſos, quòd comperiſſet ipſos ſeditione vexari, & bonorum eſſe in tali tempore ſubuenire.

Ironia, Grçcè Εἰρωνία, ας ἡ illuſio,diſſimulatio, irriſio eſt, quæ non è verbis æquè ac pronunciatione, rei'ue natura intelligitur. Eſt autem, cum aliud verba, aliud ſenſus continet.

Digitized by Google

tinet. vt Egregiam verò laudem,& quæ ſequuntur. notus enim eſt Ciceronis locus. Sunt quędam verba Ironię oſtendendæ appoſita, ſcilicet, videlicet, quaſi verò, ita ſanè.

Myćteriſmus ideſt ſimulatus riſus, non tamen latens. Græcè Μυκτηρισμός ȣ͂, ὁ, ſubſannatio.

Antipraſis Ἀντίφρασις, εως, ἡ, oppoſitio, obiectio, contraria locutio vnius verbi ironia, vt Parcæ, quia nemini parcant: bellum, quod minimè bonum: lucus, cò quòd non luceat, ſic nanos Atlantes vocamus. vel homuncionem Gigantem, aut Aethiopem Argenteum. De qua Seruius Aeneid. 1. & 6.

Charientiſmus χαριεντισμός ȣ͂, ὁ, vrbanitas,lepos, & venuſtas ſermonis, dictum ſalſum, & facetum, ſcomma, ideſt,cauillum,dicterium, italicè *Motto*, *Bottone*. Bud. in epiſt. Ruſin. Quintil. cum duriora, & re ipſa, Orationis verbis molliuntur. Ter. Bona verba quæſo. cum piſtrinum deprecaretur Dauus; quaſi dicat, meliùs ominare, vel Dij meliora.

Hic, vt aliquid de Allegoria, qua vtuntur

SS. Pa-

SS.Patres in exponēda Sac.Scriptura breuiter reponamus, altiùs nonnulla ex tertio libro Bibliothecæ Sanctę illius doctiſſimi P. Sixti Senenſis de ſacro Prædicatorum Ordine ad verbum ſunt repetenda. Duo enim, inquit ille Pater, ſunt diuinæ ſcripturæ ſenſus, hiſtoricus, & myſticus. Hiſtoricus eſt, quem rei geſtæ narratio, ac verborum ſeries ſub communi, & vſitata vocum, ſiue propria, ſiue metaphorica ſignificatione in exteriori literæ cortice repræſentat. Eſt enim duplex varietas, vel modus hiſtorici ſenſus, videlicet proprius, & metaphoricus. Proprius eſt, quem verba,ac nomina iuxta primam,nudamque vocis ſignificationem præſeferunt, vt cum per vulpem, & lupum animalia, quę primùm his vocibus ſignificantur, intelligimus. Metaphoricus verò, quem voces tranſumptæ, & ad nouam ſignificationem tranſlatæ ſignificant, vel quem figurata locutio circumſcribit: vt cum in communi locutione voracem aliquem lupi nomine, & aſtutum quendam vulpis vocabulo deſignamus: vel cum in diuinis litteris Chri-

ſtus

ſtus dicitur agnus, leo, petra, vitis, vermis, & id genus plura; quæ omnia Chriſto non propriè, ſed per ſimilitudinem quandam adſcribuntur. Alter verò ſenſus myſticus, & ſpiritualis eſt longè ſecretior, ac ſublimior, qui non omnibus peruius, ſed in intima verborum medulla reconditus latet, non per verba, ſed per res ipſas ſignificatas, vt cum per ſerpentem æneum in ligno ſuſpenſum Chriſtus in Crucem ſublatus deſignatur. Vtriuſque ſenſus diſcrimen docuit nos S. Paulus Apoſtolus in Epiſt. 2. ad Corinthios, inquiens, Iudæos quotidiè legere, & audire lectionem veteris teſtamenti iuxta literam, ſed eſſe poſitum velamen ſuper cor eorum, vt non intelligant ſpiritalem intelligentiam, quæ viuificat. Et ad Romanos ſcribens oſtendit legem de circumciſione duplicem ſenſum habere, alterũ iuxta literam circumciſionẽ ſolius carnis ſignificantem, cuius laus eſt apud homines: alterum circa ſpiritum præcipientem circumciſionem cordis magnoperè à Deo laudatam.

Ad horum igitur ſenſuum explicationem duo

duo inuenta ſunt expoſitionum genera, Hiſtoricum ſcilicet, ac Myſticum. Porrò hiſtorica expoſitio eſt, quæ ſenſum hiſtoricum, ſiuè literalem elucidat, quo quidem ſæpiſſimè vſus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus in enarrandis Sacris Scripturis, ex quibus exempli gratia accipere poſſumus expoſitionem eius in legem Moyſi de dando libello repudij, quæ in Deuteronomio 24. ſcribitur his verbis: Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam in oculis eius propter aliquā fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittet eam de domo ſua. Quam legem cum perperam intelligerent Phariſæi exiſtimantes Moyſem mādaſſe maritis, vt quacumque de cauſa vxores infenſas dimitterent, & alteram ducerent, Chriſtus eam iuxta veram Moſaicæ literæ ſententiam hunc in modum declarauit, inquiens; Matth. 19. Moyſes propter duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob forni-

fornicationem, & alteram duxerit mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. quaſi dicere voluiſſet Saluator noſter: Vos Iudæi genus hominum eſtis beſtijs immitius, & efferatius ſine timore Dei, ſine dilectione, ac miſericordia; ideò vobis Moyſes permiſit quidem, ſed non præcepit repudiare vxores odio habitas, non tanquam aliquod licitum, ſed tanquam remedium ad euitationem maioris mali paratum; ne odio, ac deſperatione inſeparabilis coniugij adducti ad cędem coniugis verteremini. Semper enim malum fuit ob quancumque cauſam repudiare vxorem, & alteram accipere, imò contra ipſam naturam matrimonij ab initio generis humani conditam, cuius lex eſt, Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna.

Myſtica, hoc eſt, Arcana, ſecluſa, & ſpiritalis expoſitio dicitur & ad elucidationem myſticorum ſenſuum, qui in Sancta Scriptura clauduntur, neceſſaria eſt, tres particulares explanationis ſpecies, ſiue partes complectitur, hoc eſt, Allegoricam,

Tropologicam, & Anagogicam iuxta triplicem præteriti, ac præſentis, & futuri temporis differentiam diſtinctas.
Allegorica præteritarum in veteri lege vmbrarum, ac figurarum pręnotiones, ac præſagia manifeſtat. Hac edocuit Chriſtus Ieſus Matth.xvii. cum loquens ad Iudæos de Ioanne Baptiſta dixit: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia; dico autē vobis, quia Elias iam venit,& non cognouerunt eum: Sed fecerunt in eum quæcunque voluerunt. Significans his verbis, Elię vitam in veteri teſtamento fuiſſe typum,& vmbram vitæ Ioannis,qui ab exordio noui teſtamenti venit in Spiritu, & virtute Eliæ. Paulus quoque in Epiſtola ad Galatas IV.explicans allegoricè hiſtoriam, duorum filiorum Abrahæ ait: Scriptum eſt, quòd Abraham duos filios habuit, vnū de ancilla, & vnum de libera: ſed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera per repromiſſionem; quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta, &c.
Tropologia, quæ in Scripturis Sanctis geſta,

ſta, dictaque ſunt, ad præſentis vitę moralem inſtitutionem conuertit. Τροπολογία, cum ſermo ad emendationem morum dirigitur; hac vſus eſt idem Redemptor noſter Matth. XII. cum hiſtoriam pœnitentiæ Niniuitarum, & aduentus Reginæ Auſtri ad Salomonem ad exprobrãdos perditiſſimos mores, & obſtinatiſſimam incredulitatem Iudæorum deflexit, inquiens: Viri Niniuitę ſurgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia in prædicatione Ionæ egerunt pœnitentiam, & ecce pluſquàm Ionas eſt hic Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire Sapientiam Salomonis, & ecce pluſquã Salomon hic. & Paulus in Epiſt. 1. ad Corint. Hiſtoriam Hebræorum, qui in Deſerto perierunt ad mores accommodans, ait: Patres noſtri omnes mare tranſieruut, &c. Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt.

Anagogia ad futuræ beatitudinis, & cæleſtis gloriæ ſublimiora myſteria animum ſuſtollit:

lit: Hinc τὰ Ἀναγωγικὰ, myſtica, quæ hominem mortalem ſublimia, diuinaque meditando in cœlum ſubuehunt. Et νοῦς ἀναγωγικὸς, cum ſenſus literalis, vt vocant, in ſpiritualem vertitur Νοῦς, ὁ, mens, ſenſus, intellectus. Bud. Com. hâc vſus eſt Paulus in Epiſt. ad Hebræos XI. cum terram illam Palæſtinorum patribus repromiſſam adaptat ad pollicitationem futuræ gloriæ, inquiens, Terram illam tantoperè à Patriarchis deſideratam, & tot peregrinationibus exquiſitam, non eſſe præſentem, viſibilem, terrenam illam regionem Cananæorum, ſed futuram, inuiſibilem, atque cœleſtem Patriam meliora habentem fundamēta, cuius Deus eſt Artifex, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem, multis Angelorum millibus frequentem.

Tot igitur ſunt ſacrarum expoſitionum ſpecies.

Non ſolùm omnia, quę in ſacris literis reperiuntur, vel per vnam, vel per alteram harum expoſitionum apertè explicari poſſunt: ſed etiam quàm ſæpiſſimè contingere, vt idem locus, ac verba diuinæ Scriptu-

pta-

pturæ omnes iſtas expoſitiones ſimul recipiant, cuius rei exemplum aptiſſimum affert Diuus Eucherius in libro ſpiritualium formularum, illuſtrans quadruplici expoſitione Aquarum nomen, his verbis: Quatuor ſunt diuinarum expoſitionum genera. Hiſtoricum, Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum.

Hiſtorica Expoſitio eſt, quæ veritatem nobis factorum, ac fidem relationis inculcat.

Tropologica, ſiue Moralis Expoſitio eſt, quæ ad vitę emendationem myſticos intellectus refert.

Allegorica Expoſitio eſt, quæ geſtorum narrationem futurorum vmbram prætuliſſe demonſtrat.

Anagocica Expoſitio eſt, quæ ad Sacratiora cœleſtium figurarum ſecreta producit.

Hæc verò ipſa planiùs ſubiectis manifeſtantur exemplis.

Aqua ſecundũ Hiſtoriam, elementarē aquā ſignificat, quę terram alluit, & interluit, ſicut in principio Geneſeos: Congregentur aquę in locum vnum, & appareat arida.

Tropologicè, Aqua tribulationes ſignifi-

cat pſal.LXV. Tranſiuimus per aquam, & ignem &c. & Iſa. XLIII. Cum tranſieris per aquas, &c. Prouerb.XVIII. ſignificatur ſapientia: Aqua profunda verba ex ore viri, &c. Prouerb.IX. hæreſes: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt. item. Ioan. VIII. proſperitates mundi: Omnis, qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum.

Allegoricè, Aqua Baptiſmum ſignificat Ezech. XXXVI. Effundam ſuper vos aquã mundam, &c. item Apoc.XVII. Populos; Aquæ multæ, populi multi. Et in Iſa. XXXII. Beati, qui ſeminatis ſuper omnes aquas. item. gratiam Spiritus Sancti. Ioan. VIII. Si quis ſitit, veniat, & bibat, &c.

Anagogicè, Aqua exponitur de æterna beatitudine, ſicut in Ieremia II. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & Apocal. VII. Deducet eos ad vitæ fontes aquarum. item de Angelis Pſal CXLVIII. Aquæ, quę ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. hactenus Eucherius.

Sanctus Auguſtinus in libro de vtilitate credendi ad Honoratum Cap. III. partiri videtur hæc genera Expoſitionum in hunc mo-

modum. Quatuor modi à quibuſdam ſcripturarum tractatoribus traduntur legis exponendæ, ſecundùm Hiſtoriam, ſecundùm Allegoriam, ſecundùm Analogiam, & ſecundùm Actiologiam.

Secundùm Hiſtoriam, cum docetur quid ſcriptum, aut quid geſtum ſit; quid nõ geſtum, ſed tantummodò ſcriptũ, quaſi geſtum ſit.

Secundum Actiologiam, cum oſtẽditur, quid, qua de cauſa, vel factum, vel dictum ſit. Eſt autem Actiologia ratio cauſæ, vt in exẽplo perſonarũ, cum proponitur vita alicuius.

Secundum Analogiam (quæ dicitur proprietas, ſimilitudo, ſimilis ratio, ratio, comparatio, ratio comparationis, modus & congrua partium menſura, proportio) cum demonſtratur non ſibi aduerſari duo teſtamenta, vetus ſcilicet, & nouum.

Secundùm Allegoriam, cum docetur non ad literam eſſe accipienda quædam, quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè intelligenda. His omnibus modis Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Apoſtoli vſi ſunt Matth. XII. nam de hiſtoria ſumptum eſt, cum obiectũ eſſet: quòd die Sabbati diſcipuli eius ſpi-

eas cumeſſent. Non legiſtis, inquit, quod fecit Dauid, & qui cum eo erant? &c.

Ad Aetiologiam pertinet illud Matth. XIX. quòd, cum Chriſtus prohibuiſſet vxorem abijci, niſi fornicationis cauſa, relatumque eſſet ab interrogantibus, Moyſem, libello dato repudij permiſiſſe licentiam: Hoc, inquit, Moyſes fecit propter duritiam cordis veſtri. Hìc enim cauſa reddita eſt, cur illud à Moiſe pro tempore benè permiſſum ſit, vt quod Chriſtus præcipiebat, alia iam tempora demonſtrare videretur.

Ad Analogiam pertinet, quod cum Matth. II. cap. narraſſet cædem infantium ab Erode perpetratam, protinùs addidit facti huius cum dictis veteris teſtamenti congruentiam, inquiens: Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Proph. &c.

Ad Allegoriam attinet, quod Paulus dicit ad Galatas IV. Scriptum eſt, quod Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, alium de libera: quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc S. Auguſtinus.

S. Hieronymus aliquantò diuerſiùs diſtinguere videtur hæc expoſitionum genera ſic in duo-

duodecima quæſtione ad Hedibiam ſcribens: Triplex in corde noſtro deſcriptio & regula Scripturarum eſt. Prima vt intelligamus eas iuxta Hiſtoriam: Secunda iuxta Tropologiam: Tertia iuxta intelligentiam ſpiritualem.

In Hiſtoria eorum, quæ ſcripta ſunt, ordo ſeruatur. In Tropologia de litera ad maiora conſurgimus: & quicquid in priori populo carnaliter factum eſt, iuxta moralem interpretamur locum, & ad animæ noſtræ emolumenta conuertimus. In ſpirituali Theoria Θεωρία ad ſublimiora tranſimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine, & cœleſtibus diſputamus, vt præſentis vitę meditatio vmbra futurę beatitudinis ſit. Hactenus Diuus Hieronymus à Sixto citatus.

In Lexicogræco, Θεωρία, ας, ἡ, ſpeculatio, meditatio, contemplatio, propriè tamen rerum diuinarum.

Iſti SS. Patres inter ſe nõ diſſident de numero quatuor expoſitionum, ſolùm in modo partiendi, quam partitionem in quatuor membra dedit Eucherius: eandem ad tria

Hie-

Hieronymus. Auguſt. verò ad duo membra reduxit eo modo, quo in ſubiecta figura apparet.

Eucherij partitio quadrimembris.

SAcrarum literarum quadruplex expoſitio, videlicet.

Hiſtorica, ———————— { Propria, Metaphorica.
Tropologica,
Allegorica,
Anagogica,

Hieronymi partitio trimembris.

SAcrarum literarum triplex expoſitio, videlicet.

Hiſtorica,
Tropologica,
Spiritalis, quę duplex eſt videl. { Allegorica, Anagogica

Auguſtini partitio bimembris.

SAcrarum literarum duplex eſt expoſitio, videlicet.

Hiſtorica ———————— { Analogica, Aetiologica.
Allegorica, quæ in lib. de vera Religione cap. L. Triplex aſſignatur; quarum prima figura præteritorum ad præſentia accom-

accommodat: quæ ſibi nomen Allegoricę retinuit. Secunda ad mores,& affectiones animę pertinet, quæ dicitur Tropologica. Tertia ad incommutabilem æternitatem extollitur, & dicitur Anagogica.

Hìc admonet idem Sixtus Senẽſis, vt qui negocium exponendi ſacras Scripturas aſſumunt, medium in his expoſitionibus teneant, & extrema,quæ ſemper vitioſa ſunt, fugiãt. Nam ſicuti minimè probandi ſunt quidã noſtri ſæculi Expoſitores, qui ſpretis myſticis ſenſibus,tanquam fortuitis cogitationibus, & ad arbitrium excogitatis dormitanti literæ perpetuò aſſident, & ſolis mortuis ſyllabis, & dictionibus incumbunt, frigidi, ſine ſpiritu,exangues,& exanimes: ita grauiter damnandi ſunt inepti quidam noſtrorum temporum Expoſitores,qui reiectâ prorſus literali expoſitione tanquam re leuiſſimi momenti, & Grammaticis (vt aiunt) potiùs,quàm Theologis digna in ſingulis Scripturæ locis coactas quaſdam,& inſulſas Allegorias protrahũt, vim inferentes Diuinæ Scripturæ, & deſtructa hiſtoriæ veritate ridiculas cogita-

tiones

tiones venditant, tanquam magna, & arcana Eccleſiæ Sacramenta. Hos ego (inquit Frater Sixtus) amantiſſimè obſecro, atque obteſtor, vt conſiderent literalem expoſitionem nō eſſe rem vſque adeò vulgarem, vilem, ac protritam, & omnibus, vt nonnulli iactitant, puerorum pędagogis peruiam, ſed eſſe expoſitionum omnium difficillimam, & maximè operoſam propter inuſitatas, & abſtruſas Linguæ ſanctæ proprietates, & propter copiam rerum difficillimarum artium videlicet, ſcientiarum, & diſciplinarum omnium, quæ ſub hiſtorico Scripturæ ſenſu comprehenduntur.

Propter exemplum appoſuimus vnum, & alterum ſumptū ex aureo Opere ſuper Euāgelia totius anni Fr. Antonij de Gislandis ex Ord. Prædicatorum quod primum legitur in Vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli: Alterum feriâ quartâ in capite ieiunij.

Hiſtoricè.

BIna cum Dominus Petrum interrogaſſet vice, an ſe cæteris plus diligeret, & reſpon-

ſpondiſſet, quòd ipſo ſciente eum diligeret, iniunxiſſetque Dominus, vt ſuos paſceret agnos. Tertiò rurſus Dominus à Petro, an ſe amaret, quæſiuit, quo Petrus contriſtatus, eum omnia ſcire reſpondit, profectoque agnoſcere ſe ab eo diligi; imperauit autem Dominus, vt ſuas paſceret oues, inquiens, quòd dum iuniori frueretur ætate, ſe cingulo ad libitum conſtringebat, pergensquòcunque voluiſſet, ſed ſenio dum grauabitur, ab alio ligandus foret, & ducendus quò volet, his qua Deum clarificaturus eſſet nece, demonſtrans.

Allegoricè.

[QVod Petrus vocatur Simon Ioannis] & Simon obediens, & Ioannes gratia interpretetur, meritò ſic vocatur, ideſt obediens gratiæ Dei [quòd præcipitur paſcere agnos, & oues.] ſignificat, vt curam gregis ſibi commiſſi habeat [quòd prænũtiatur ſibi mors] deſignat prælationem non eſſe ad pompam, ſed ad pœnam.

Tropologicè.

INſtruitur, vt proximo neceſſitatem patienti ſuccurramus, & quando expedit, etiam pro Chriſto vitam exponamus.

Anagogicè.

COntemplari conſentaneum eſt charitatem, qua cum Deo poſt vitam fruemur,quę omnes ſuperat delectationes mũdi huius, nec cunctæ aduerſitates,quas patimur, ſunt condignæ ad ipſam perpetuam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Hiſtoricè.

SVos Dominus admonebat diſcipulos, vt nequaquam cum ieiunarent veluti hypocritæ triſtes apparere ſtuderent,qui eorum (vt hominibus ieiunantes videantur) facies exterminant, ob quod verè ſuam pro meritis mercedem iam adepti ſunt. Eos autem hortatus fuit,vt ſuã, cum ieiunarent,capita perungerent, & lauarent vultus,ne terrigenis conſpicerentur ieiunare, ſed rerum opifici, qui cuncta etiam latentia proſpectans,

præmia redditurus eſſet. Ne etiam in terris theſauros coadunarent, inhibuit, qui tineę, erugini, ac furibus ſubijcerentur, quinimò cœleſtis conarentur poſſidere theſauros nullius amiſſionis ſubiectos periculo, quoniam ibi eorum figerentur corda, vbi theſauros haberent.

Allegoricè.

HAec præfigurata fuerunt in Iudith, quæ extrinſecùs ſimulabat ſe lætam, & veſtiebatur veſtimentis lætitię, & tamen ſecretè ieiunabat, Dominum deprecabatur, & ſic deluſit, & proſtrauit Holofernem ſæpiùs ſe lauans, & baptizans, vt habetur in lib. Iudith.

Tropologicè.

CAput noſtrum Chriſtus eſt, ſitientem pota, eſurientem ciba, & ſic oleo miſericordiæ vnxiſti caput tuum, ideſt Chriſtũ, qui clamat in Euangelio, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

Ana-

Anagogicè.

FAcies quidem lauatur, caput autem non, ſed inungitur, quia quandiù ſumus in corpore, conſcientia noſtra ſordida eſt in peccatis. Caput autem noſtrum Chriſtus peccatum non fecit, quem vngimus noſtris orationibus, & in ſuperna patria ipſum cũ Patre, & Spiritu Sancto laudando ablutâ facie, & purgatâ ab omnibus piaculis.

Cœtera id genus numero ſuper centum exẽpla poterunt apud eundem auctorem. Hi quatuor ſenſus ita numerantur à S.Tho. 1. par. quæſt. 1. art. 10. Hiſtoricus vel literaralis, allegoricus, tropologicus ſiuè moralis, & anagogicus.

De Parabola autem, de qua ſupra tit. de exornationibus, quę ſubijciuntur Allegoriæ, & infr. de ſimilitudine ſuo tit. ſtrictim paucula attigimus. Nunc hic addimus, quòd hunc morem à Syris, & præcipuè Paleſtinis in omni ferè ſermone fuiſſe ſeruatum, Diuus Hieronymus in ſuo ſuper Matthæum commentario affirmat. Parabolas habemus in vtroque teſtamento. Et

in

in Nouo: Vos ergo audite parabolam ſeminantis. Matth. XIII. 17. Et ibidem. In parabolis loquebatur eis. Cuius exemplo prouocatus M.Marulus ſcripſit illas quinquaginta parabolas in fine ſui Euangeliſtarij.

Ex quibus XLIII. delecta eſto nobis exemplar, Quæ eſt de inani gloria, & auaritia doctori cauenda.

Paſtori mandauerat gregis Dominus ad paſcua læta agere oues, herbiſque optimis paſtas, ad caulam reducere, diligenterque cuſtodire. At ille vt benè paſtæ eſſent, curauit quidem, ſed alijs earum lac, alijs lanam ſurripere nõ erubuit. Cumque Dominus partim emulſas, partim deglabratas eſſe vidiſſet, in paſtorem iratus, in tantum ille pactam pro labore mercedem ſoluere noluit, vt etiam malè pro temeritatis crimine mulctatum dimitteret.

Terreat hæc parabola Eccleſiæ doctores, vt cum diuini verbi pabulo Domini ſui ouile benè nutrierint, nihil inde ſibi venari preſumant. Ille enim lac ouium emulget, qui ab ijs, quos docet, plauſum laudis captat,

dum quæſtionum argutijs nihil ad rem pertinentibus occupatur. Ille verò lanam detondet, qui auaritiæ vitio ſuperatus ſuis prædicationibus magis pecuniæ, quàm animarum lucrum quærit. Prædicâtor autem gloriam ab omnibus exigens, Dei gloriâ indignus erit, atque audiet: Recepiſti mercedem tuam. Et ſi eliciendæ pecuniæ cauſa prædicauerit, non prædicator à Domino arguetur, ſed præuaricator, cum præceptum ſit: Gratis accepiſtis, gratis date. Donum quippe Dei in Eccleſijs prædicandi ſcientia. Hoc dono abutitur, quiſquis aliud, quàm ſalutem eorum, quos inſtruit, concupiſcit.

Hæc paucula in gratiam ſtudentium Sacram Scripturam.

Modò reaſſumamus ea præcepta, quæ ad prophanam, imò forenſem oratoriam artem ſpectant.

Digitized by Google

De Exornationibus Sententiarum, in quibus vnico exemplo contenti erimus, ne res per ſe prolixa fiat prolixior.

De Diſtributione.

QVid eſt Diſtributio, Græcè Μερισμὸς, οῦ, ὁ. P.Rutilio Lupo Græcè idem ſonat vel partitio. Vndè Lycug. Cuius omnes corporis partes ad nequitiam ſunt appoſitiſſimæ: oculi ad petulantem laſciuiam, manus ad rapinam, venter ad auiditatem. Διαιρέσις εως ἡ. Rufiniano ſimiliter idem, ſeù partitio, & dimenſio, diſſectio, diſcriminatio. Bud. Comm. & Græcorum quibuſdam Διαλλαγή, ῆς, ἡ, præter alia, dicitur ſchema, cum plura argumenta in vnum effectum deducuntur? Exornatio, qua vnicuique, quod ſuum eſt, & conuenit, pro dignitate perſonæ diſtribuitur. hoc modo: Magiſtratus officium eſt operâ & diligentiâ exequi voluntatem Senatus. Populi officium eſt

res optimas, & homines idoneos maximè ſuis ſententijs eligere & probare. Accuſatoris officium eſt inferre crimina: Defenſoris eſt diluere, & propulſare: Teſtis eſt dicere, quæ ipſe ſciat, aut ab alijs audierit: Quęſitoris eſt vnumquenque horum in officio ſuo continere. Quare L. Caſſi ſi in cauſis teſtē præterquam quod ſciat, aut audierit argumentari, & coniectura proſequi patieris, ius accuſatoris cum iure teſtimonij commiſcebis, teſtis improbi cupiditatem confirmabis, reo duplicem defenſionem parabis.

Dicunt quidam Rhetores hanc figuram fluere è diuiſione Dialectica, neque re ipſa hinc, ſed elocutione tàntùm differre, cum ſit, cum totum in partes, aut membra diſtribuimus. Eſt elegans etiam diſtributio in Lælio Ciceronis: De Amicitia, inquit, omnes ad vnum idem ſentiunt, & hi, qui ad Remp. ſe contulerunt, & hi qui rerum cognitione, doctrinaque delectantur, & hi, qui ſuum negocium gerunt ocioſè: poſtremò hi, qui ſe totos tradiderunt voluptatibus, ſine amicitia vitam eſſe nullam ſentiunt.

Qui-

Quibus rebus apta eſt hæc Exornatio? Generi Iudiciali, graui figuræ, confirmationi, & confutationi.

De Licentia.

QVid eſt Licentia, quam & Parrheſian vocant? Exornatio, qua apud eos, quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure noſtro dicimus, quod eos minimè offendat. hoc modo: Miramini, Quirites, quòd ab omnibus veſtrę rationes deſerantur, quòd cauſam veſtram nemo ſuſcipiat, quòd ſe nemo veſtri defenſorem profiteatur, id tribuite veſtræ culpæ, atque deſinite iſtud mirari. quid enim eſt, quare non omnes iſtam rem fugere, ac vitare debeant? Recordamini quos habueritis defenſores, ſtudia eorum vobis ante oculos proponite: deinde exitus omnium conſiderate, tum vobis veniet in mentem, vt verè dicam, negligentia veſtra ſiuè ignauia potiùs illos omnes antè oculos veſtros trucidatos eſſe inimicos eorum veſtris ſuffragijs in ampliſſimum locum perueniſſe. Vel Licentia cum ſimulatione quadam &

ſpecie libertatis, aut noſtra, aut aliorum errata ita reprehendimus, vt figuratè interim adulemur. Sic M. Tullius pro Ligario. Suſcepto bello Cæſar, geſto etiam ex magna parte nulla vi coactus, conſilio, ac voluntate mea ad ea arma profectus ſum, quę erant ſumpta contra te. Hic non ſolùm ad vtilitatem Ligarij reſpicit, ſed magis laudare victoris clementiam non poteſt, vt diligenter annotauit Fabius. Sub hac exornatione continentur etiam illæ excuſationes, Pace tua, venia tua dixerim, æquo animo feras, in bonam partem accipias, boni conſulas, ne ægrè feras, & cætera id genus.

Παῤῥησία, ας, ἡ, à Rutilio Lupo numeratur inter figuras orationis. Item Rufinianus, à quo vertitur oratio libera, vel licentia ſecundùm Cornificium.

Quibus rebus congrua eſt hæc exornatio? Generi Iudiciali, & Deliberatiuo, graui figuræ, Procœmio, & Narrationi.

De

De Diminutione.

QVid eſt Diminutio vel Imminutio, Extenuatio, Diſceſſio, Abſceſſio; his enim modis à Cic. dicitur: Græcis verò Μείωσις, εως. ἡ. Nobis diminutio. Et Λιτότης, ητος, ἡ, figura etiam dicitur, cum rem magnam modeſtiæ causâ verbis extenuamus. Ac Λεπτότης, ητος ἡ. ideſt, tenuitas, exilitas, gracilitas, attenuatio, macies, ſubtilitas, argutia? Exornatio, qua aliquid de nobis dicimus cum aliqua extenuatione, ne fortaſsè arrogantes videamur. hoc modo Cic. Pro meo iure hoc poſſum dicere, me labore, & induſtria curaſſe, vt diſciplinam militarem non in poſtremis tenerem. Hic ſi quis dixiſſet, vt optimè tenerem, licèt verè dixiſſet, tamen arrogans viſus eſſet. idẽ, ego ſemper operam dedi, ne inter infimos Oratores haberer. hîc etiam ſi quis dixiſſet, vt primus haberer, arrogans viſus eſſet. Hæc eſt contraria Amplificationi, totidemque ferè modis extenuamus, quot augere, & amplificare ſolemus, ſed in contrarium ſumptis. Sumimus hîc Amplifica-

tionē pro illa figura, qua res ipſæ augētur, & licet id fiat pluribus modis, præcipuè tamen his quatuor: Incremento, Comparatione, Congerie, Ratiocinatione.

Incrementum eſt, cum exaggeratis inferioribus gradatim peruenitur ad ſummum. Cic. in Verr. Act. V. Facinus eſt vincire ciuē Romanū, ſcelus verberare, propè parricidiū necare. quid dicā in crucem tollere? Eſt & incrementum, cum ſummo aliquid additur præſtantius. Virg. Aen. VII.

——— quo pulchrior alter

Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Fit item incrementum, ſemel & iterum eodem repetito verbo: Matrem tuam occidiſti. quid dicam ampliùs? Matrem tuam occidiſti, quæ te genuit, quæ te aluit, quæ te enutriuit. Interdùm per verba fit ſingula. Cic. Act. VI. in Verrem. Non enim furem, ſed ereptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque: non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium, ſociorumque in veſtrum iudicium adduximus. huc pertinet Interpretatio, huc

demum

demùm ſpectat Correptio, & Hyperbole.

Comparatio eſt, cum à maioribus exaggeratis coniectura capitur de minoribus exagerandis, hoc eſt, cum minora maioribus, indigna multò indignioribus comparamus, vel etiam præferimus, non argumentandi, ſed ornandi causâ Virg. 1. Aen.

—— O terque, quaterque Beati,
Queis ante ora patrum, Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere. ——————

Tale eſt: Serui mehercule mei ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem. hoc à minore ductum eſt; & pauci ſerui comparantur vniuerſis ciuibus, non liberi liberis, herus Catilinæ, qui ciuium ſuorum non erat dominus, poſtremò ciuitati domus.

Congeries eſt plurium res diuerſas ſignificātium enumeratio. Cic. pro Lig. Quæ tua mens? Oculi? Manus? Ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas? Idem. Quid eſt in Antonio præter libidinem? Crudelitatem? Petulantiam? Audaciam? Nihil

hil eſt in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil prudens, nihil pudicum.

Ratiocinatio eſt qua amplificamus rē coniecturâ ab aliquo ſigno ſumptâ vel circumſtantiâ maiore, quæ fidem propè excedat, vt apud Virg. 3. Aen. Ingens corporis Polyphemi magnitudo conijcitur ab his ſignis: Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat. Eſt & illa elegans cumprimis, & efficax amplificandi ratio, quoties ea, quæ per ſe alioqui grauiſſima ſunt, conſultò deprimimus, quò magis, magiſque attolluntur, quæ ſequutura ſunt. Qua de re Fabius 8. c. 4. vel vt apud Ter. Hegio de puella vitiata queſtus, facinus hoc velut vulgatum, iam & humanum contemnit, iubetque grauius adhuc accipere, cum Demea nihil hoc grauius fieri, aut dici poſſe, crederet. Nam hoc quidem (inquit) ferundum aliquo modo eſt. perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia. humanum eſt. Vides'ne vt conſultò eleuet, extenuetque hoc Aeſchini peccatum à circumſtantijs quò grauius videatur, quod ſtatim ſubijtur?

Qui-

Quibus rebus accommodari poteſt exornatio Diminutionis? Omni generi, mediocri figuræ, Procœmio, & Narrationi.

De Deſcriptione.

QVid eſt Deſcriptio? Græcè Διατύπωσις, εως, ἡ? Quæ rerum conſequentium continet perſpicuam, & dilucidam cum grauitate expoſitionem. Ita Cicero, vel Eſt Exornatio, qua exponuntur incommoda, quæ ſunt conſequutura, ſi aliter iudicarint, ac nos intendimus, hoc modo: Si de hoc, Iudices, grauem ſententiam tuleritis, vno iudicio ſimul multos iugulaueritis, grandis natu parens, cuius ſpes ſenectutis omnis in huius adoleſcentia poſita eſt, quare velit in vita manere, non habebit. Filij parui priuati patris auxilio, ludibrio, & deſpectui, paternis inimicis erunt oppoſiti, tota domus huius indigna concidet calamitate; at inimici ſtatim ſanguinolentâ palmâ, crudeliſſimâ victoriâ potiti inſultabunt in horum miſerias, & & ſuperbiâ, re ſimul, & verbis inuehentur.

Quibus rebus adhibenda eſt hæc exornatio? Gene-

Generi Iudiciali, graui figuræ, concluſioni; nam pro re, & iudicio Oratoris ad indignationem, & commiſerationem eſt aptiſſima.

Hæc Deſcriptio Rhetorica ab Aquila Rom. dicitur Diatypoſis Διατύπωσις, .i. deſcriptio, formatio, deformatio, informatio, conſtitutio, ſtatutum, lineamentum. Ab alijs Ὑποτύπωσις ιος ἡ, ideſt deſcriptio, forma, deſignatio, diſpoſitio, ad exprimendum exemplar. Propriè dicitur hæc figura euidentia, & illuſtratio, quando res ita ſcribendo exprimitur, vt videatur delineari, vel (vt inquit Fabius 9.) propoſita quędam forma rerum, ita expreſſa verbis, vt cerni videatur potiùs, quàm audiri. Vndè & apud eundem lib. 4. cap. 2. vbi credibilis rerum imago dicitur. Hæc eadem Deſcriptio & Ἔκφρασις εως ἡ. ab Aphtonio, ideſt, deſcriptio, explanatio, pura meraque enarratio ſeu explicatio. Heſych. λόγον ἐναργῆ, ideſt, euidentem ſermonem orationemue interpretatur. Cœl. lib. 7. cap. 40. Quæ & ab alijs Energia, Ἐνέργεια, ας, ἡ, efficacia, vel Ἔμφασις, εως, ἡ. ſignificatio tacita, demõſtratio, repræ-

repræſentatio vocatur ; & à Rutilio Rufo χαρακτηρισμὸς ὢ ὁ, deſignatio, figuratio. Ferè naſcitur è quarto genere finiendi apud Dialecticos, exprimitque rem, perſonam, affectum, mores, ſermonem, ac circumſtantiam ita clarè, vt ex Cicerone patet, & perſpicuè, vt lectori ob oculos ea quaſi præſens verſetur, velut viua pictura. Eſt autem deſcriptio Rhetorica in rebus dilatandis, quaſi parens quædam affluentiæ, & vbertatis domina. Eſt ſchema hoc, cum ſubeſt in verbis tacita quædam ſignificantia, & vis, veluti ſi dicas: Tu Cretenſi fidem? non ſignificat ſimpliciter omnem in Creta natum, ſed pro gentis illius ingenio perfidum.

Huius ſpecies ſunt.

1. REi Deſcriptio, quam hypotypoſin vocant, vt eſt Deſcriptio diluuij apud Ouidium, hæc rem ita ſubijcit oculis, vt non narrari, ſed geri videatur. Demonſtrationem alij vocant.

2. Proſopopœia, qua homo quiſpiam depingitur. Quanquam Rhetores ferè latiùs

vtun-

vtuntur vocabulo Proſopopœiæ nimirū vt ſpecies quaſdam ſequentes complectatur. Græcè Προσωποποιΐα propriè, vt ſupra, eſt perſonæ confictio, cum rebus inanimatis perſonam, orationemque tribuimus, aut defunctos tanquam viuos & præſentes inducimus. Deſcribunt hanc figuram Rom. Aquila, Rufin. & Rutil. Lupus. Vide etiam Quintilianum lib. 6. cap. 1. & lib. 9. cap. 2. Vulgò moralitates dicuntur.

3. Characteriſmus effictio, vel pictura corporis, & animi; vt Dauus effingit Critonē Chærea ſenem illum importunum. Græcè Χαρακτηρισμὸς, οῦ, ὁ, deſignatiò, figuratio, repræſentatio.

4. Proſopographia fictio perſonæ, quæ duas habet ſpecies. Prior eſt perſonę fictæ deſcriptio Poëtis propria, Oratoribus rara. vt Virg. fingit Sibyllam furentem, fingit perſonas apud inferos. Altera forma eſt, cum rei mutæ, aut incorporeæ affigimus perſonam, & ſermonem, aut affectum hominis, aut animalis. quemadmodum in Harpijs, furijs, dæmonibus, ſomno, inuidię, famæ, virtuti, iuſtitiæ, & ſimilibus, per-

Digitized by Google

perſonam, vel ſermonem affingere poëtæ ſolent: item, cum aut Remp. Oratores loquentem inducunt: aut defunctos quaſi ab inferis excitant. Qualis eſt illa pro Cœlio Appij Cœci perſona inducta.

5. Ethopœia, proprietas, vel expreſſio morũ, & affectuum mitium, de qua Fabius non ſemel. Huius tres ſunt formę, quarum prima eſt ſignificatio vel expreſſio morum prolixior, velut ingeniorum, artium, virtutum, vitiorum, ſic vanum oſtentatorem exprimit Thraſonem Ter. militem Plautus; Atque hæc forma propria comœdijs atque dialogis eſt, vbi præcipuè eſt perſonæ decorum obſeruandum. Secunda forma eſt expreſſio naturalium propenſionum, ac natura inſitarum affectionũ, vt eſt expreſſio amoris paterni erga liberos: coniugum, & amicorum inter ſe: coniunctionis æqualium, hoſpitum, vicinorum: diſiunctionis hoſtium inter ſe. in quibus affingendis mirus eſt apud Latinos artifex Liuius. Peculiariter enim hiſtoria, animorum cupiditates, conſilia, & res geſtas ferè ſine tragicis moribus illis depingit. Tertia

for-

forma eſt expreſſio affectionum ſeruorum, quę non ita perturbant animos, neque præcipitant; vt ſi quando lætiores affectus hominum erga nos, alios'ue captamus, & blandiendo elicimus, vt cum animus in ſpem, in lætitiam erigitur, & in riſum quoque. Hæc tertia forma peculiaris eſt exordijs.

Ἠθοποιΐα, ἡ, (vt à Iacobo Tuſano ſummatim reſtringitur) eſt morum expreſſio, affectuumque figuratio, imitatio, morum alienorum notatio dicitur, & Μίμησις imitatio loquentis, à Priſciano allocutio vertitur. Ἠθοποιΐα, Ethopœia (inquit Rom. Aquila) eſt moralis. differt à proſopopœia, eò quòd ibi & perſonas fingimus, quæ nuſquam ſunt: hic certis quibuſdam, vel perſonis verba accommodare adfingimus, ad improbitatem earum, vel ad dignitatem demonſtrandam. Ethopœia (inquit Iulius Rufinian.) eſt alienorum affectuum qualiumlibet, dictorumque imitatio, non ſine reprehenſione. Latinè dicitur figuratio, vel expreſſio τὸ ἠθοποιικὸν, facilitas ſeù ingenium ſe in multos mores vertendi, Bud. in epiſt. poſt.

6. Pa-

6. Pathopœia, ideſt, vehementiorum affectuum, & perturbationum expreſſio, de qua Macrobius 4. Huius duæ ſunt formæ. Prior, quam imaginationem vocant, qua metus, dolor, ira, furor, odium, inuidia, effrenis cupiditas, libido, immodica ſpes, immoderata lætitia, perturbatioque animi deſcribitur, & excitatur. Virg. Nec tibi diua parens generis, nec Dardanus auctor. & quæ ſequuntur. item. Quid me alta ſilentia cogis Rumpere. &c. Huius exempla ſunt paſſim obuia in tragœdijs. Altera forma eſt commiſſeratio, qua eliciuntur lachrymę, vel mouetur miſericordia, vel captatur venia. Huius exempla ſunt obuia in perorationibus Ciceronianis, in querelis apud Poëtas.

Item dicamus cum Iulio Rufiniano Παθοποιΐα, Commotio affectuum, ſchema quo odium, vel iracundiam, vel miſericordiam commouemus.

7. Sermocinatio, ſeu Dialogiſmus, & græcè flectitur Διαλογισμὸς, ου, ὁ quo deſignatur etiam diſputatio, diſceptatio, ratiocinatio, confabulatio, collocutio, cōſultatio. Itē inteſtina

ſermocinatio,& cogitatio,quoties perſonæ affingitur Oratio breuis,vel longa pro decoro eius. cuiuſmodi ſunt conciones Liuianæ, & apud hiſtoricos. item orationes apud Poëtas. Cic. pro Cluent. Dem'ne Iudicibus? Mihi igitur ipſi præter periculum & infamiam, quod quæratur,nihil excogitem? Et quæ ſequuntur. Idem in Verrem 3. ſi pupillo opus redimitur, mihi præda de manibus eripitur. quod eſt igitur remedium? Quod? Ne liceat pupillo redimere.

8. Mimeſis, imitatio ſermonis, vel morum, qua non modò perſonæ orationem, ſed etiam geſtum effingimus.

Has prædictas ſex ſpecies Fabius Quintil. atque alij ſubijciunt Proſopopœiæ.

Ita Μίμησις, εως, ἡ, imitatio,& figura rhetorica, vt apud Terent. in Andr. Nempe hoc ſic eſſe opinor dicturum patrem, Ducas volo hodie vxorem: tu, Ducam, inquies. Item æmulatio, ſimulatio, imago.

9. Topographia, & Græcè Τοπογραφία, Quintil. lib. 9. cap. 2. loci deſcriptio vt Carthaginis in primo Aeneidos, aut vrbis, aut

ar-

Digitized by Google

arcis, aut domus, aut villæ, aut templi, aut montis, fontis, fluuij, horti, aut regionis facies ſpectanda verbis depingitur, vt Carthaginis, & portus deſcriptio apud Virg. 1. Aen. & Villæ Laurentinæ. in Epiſt. Plinij. Eſt hæc deſcriptio hiſtoricis frequens, & familiaris.

10. Topotheſia Τοποθεσία, ας, ἡ, deſcriptio loci ficta, cum deſcribitur locus, qui fortaſsè non eſt vſpiam in rerum natura.

11. Chronographia Græcè χρονογραφία, deſcriptio temporis, vt Virgil. 4. Aeneidos, deſcriptione noctis exaggerat dolorem Didonis. Interdum cauſâ probandi, vt in bello, aut ſuadendo, aut diſſuadendo ſæpè vſu venit hyemis, æſtatis, atque alius anni temporis deſcriptio, quorum exempla doctè, & eleganter collegit Hieronymus Regius de amplificanda oratione.

De Diuiſione.

QVid eſt Diuiſio, Latinis complexio dicta ab Hermogene Δίλημμα? Exornatio, qua duabus rebus propoſitis, vtraque ſic confirmatur, vt aduerſarius ſe conuictū

fateatur, hoc modo: Cur ego nunc tibi quidquam obijciam? ſi probus es, non metuiſti, ſin improbus non commoueberis. item. Quid nunc ego de meis proprijs meritis prædicem? Si meminiſtis, obtundam: Sin obliti eſtis, cum re nihil egerim, quid eſt, quod verbis proficere poſſim?

Quę differentia eſt inter hanc Diuiſionem, & tertiam illam Inuentionis? illa diuidit, poſteà dicenda, aut per enumerationem, aut expoſitionem: hæc autem ſtatim membra explicat, & breui duabus, aut pluribus partibus ſubijciens rationes, exornat orationem.

Quibus rebus aptari poteſt hæc exornatio? Omni generi, omni figuræ, confirmationi, & confutationi.

De Frequentatione.

QVid eſt Frequentatio? Exornatio, qua multa in Oratione, aut argumentationibus diſperſa, vnum in locum coaceruamus, hoc modo: A quo tandem abeſt iſte vitio? Quid eſt, Iudices, cur velitis eum liberare? Suæ pudicitiæ proditor eſt, inſidia-

ſidiator alienæ, cupidus, intemperans, petulans, ſuperbus, impius in parentes, ingratus in amicos, infeſtus in cognatos, in ſuperiores contumax, in æquos & pares faſtidioſus, in inferioribus crudelis, deniq; in omnes intolerabilis.

Græcè à Rutil. Lupo Συναθροισμὸς ὁ, ideſt, congeries, congregatio, coaceruatio, cum omnia confertim in vnum conferuntur locum. Figura ſermonis, qui & ſingulis verbis, & plurium verborum coniunctione fieri poteſt. Exempla etiam ponit idem Lupus. Vide quoque Quintil. lib. 8. cap. 4.

Quibus rebus eſt commoda hæc Exornatio? Omni generi, & Iudiciali præcipuè, omni figuræ, & graui præſertim confirmationi, confutationi, concluſioni, & maximè conſtitutioni coniecturali.

De Expolitione.

QVid eſt expolitio Græcè Ἐπεξεργασία Epexergaſia; Budæo etiam repetitio probationis interpretatio? Exornatio, qua idem per diuerſa verba dicimus, aut de eadem re multis modis, & rationibus. vel

Expolitio, quoties eodem in loco diutiùs commoramur, & ſententiam eandem alijs atque alijs modis variamus, hoc modo: Nullum tantum eſt periculum, quod ſapiens pro ſalute patriæ vitandum arbitretur. Cum augetur incolumitas perpetua ciuitatis, qui bonis erit rationibus prædi-tus, profectò nullum vitæ diſcrimen ſibi pro fortunis Reip. fugiendum putabit, & erit in ea ſententia ſemper, vt pro patria ſtudiosè quamuis in magnam deſcendat vitæ dimicationem.

Fit etiam expolitio in pronunciatione, quãdo idem commutata voce, dicitur, hoc modo: Primùm alta voce. Tu hoc feciſti. Deindè altiori voce per interrogationem. Non'ne hoc feciſti? Poſtremò altiſsima voce. Nemo præter te potuit hoc facere.

Fit etiam per ſermocinationem, hoc eſt, per ſermonem fictum, & formatum ab aliqua perſona pro illius dignitate, hoc modo: Sapiens, qui omnia Reip. causâ ſuſcipienda pericula putabit, ſæpè ipſe ſecum loquitur: Non mihi ſoli, ſed etiam, atque

adeo

adeò multò potiùs natus ſum patriæ: Vita, quæ Cœlo debetur, ſaluti patriæ potiſſimùm ſoluatur: aluit hæc me, tutè atque honeſtè produxit vſque ad hanc ætatem; munijt meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honeſtiſſimis diſciplinis. quid eſt, quod à me ſatis perſolui poſſit, vndè hæc accepta ſunt?

Fit etiam Expolitio ſeptem partibus, & capitibus ad formã Chriç Græcè χρεῖα, ας, ἡ Propoſitione, ratione, ſententia, contrario, ſimili, exemplo, concluſione, vt licet videre in hac expolitione.

Propoſitio. Sapiens nullum pro Rep. periculum vitabit.

Ratio. Ideò quod ſæpè fit, vt cum pro Rep. perire noluerit, neceſſariò cum Rep. pereat.

Sententia cum ratione. Et quoniam ſunt omnia commoda à patria accepta, nullum incõmodum pro patria graue putandũ eſt.

Item ſententia cum ratione. Ergo qui fugiunt id periculum, quod pro Rep. ſubeundum eſt, ſtultè faciũt, nam neque effugere incommoda poſſunt, & ingrati in

ciuitatem reperiuntur.

Altera Sententia cum ratione. At qui Patriæ pericula ſuo periculo expetunt, hi ſapientes putãdi ſunt, cum & eum,quē debent honorem Reip. reddunt, & pro multis perire malunt, quàm cum multis.

Contrarium. Etenim vehementer eſt iniquum vitam,quam à natura acceptam propter patriam conſeruaueris, naturæ cum cogat, reddere, patriæ cum roget, non dare; & cum poſſis cum ſumma virtute, & honore, cum patria interire, malle per dedecus, & ignauiam viuere; & cum pro amicis, & parentibus, & cœteris neceſſarijs adire periculum, velis, pro Rep. in qua & hoc, & illud Sanctiſſimum nomen patriæ continetur, nolle in diſcrimen venire.

Similitudo cum ratione. Itaque vti contemnendus eſt, qui in nauigando ſe, quàm nauim mauult incolumem, ita vituperandus eſt, qui in Reip.diſcrimine ſuæ plus, quàm communi ſaluti conſulit. Naue enim fracta, multi incolumes fuerunt, ex naufragio Patriæ ſaluus nemo poteſt enatare.

Exem-

Exemplum. Quod mihi benè videtur Decius intellexiſſe, qui ſe deuouiſſe dicitur, & pro legionibus in hoſtes immiſiſſe medios. amiſit vitam, at non perdidit: re enim viliſſima & paruâ maximam redemit: dedit vitam, accepit patriam: amiſit animã, potitus eſt gloriâ, quę cum ſumma laude prodita vetuſtati quotidiè magis eniteſcit.

Concluſio. Quòd ſi pro Rep. debere accedere ad periculum, & ratione demonſtratum eſt, & exemplo comprobatum, ij ſapientes ſunt exiſtimandi, qui nullum pro ſalute patriæ periculum vitant.

Quanquàm autem prodeſt aliqua in re commorari, ac diutiùs auditorem in eius re cogitatione detinere, tamen cauendum ſemper, ne Expolitio operoſa fiat in re tenui, ne indè facias Periergian, hoc eſt, ſuperuacaneam operam, nimiſque curioſam, & immodicam loquacitatem.

Quibus rebus apponenda eſt hæc Exornatio? Omni generi, & Deliberatiuo præcipuè, omni figuræ, & graui præſertim. Reliqua, quæ de hac figura dici poſſunt, ex Cicerone petantur potiùs, quàm hic adſcriban-

tur

Digitized by Google

tur prolixitatis vitandæ gratiâ.

De Commoratione.

QVid eſt Commoratio, Græcè Ἐπιμονή Epimone? Exornatio, qua in loco firmiſſimo, in quo præcipuè noſtra controuerſia conſiſtit, maximè immoramur. Sed non ſatis commodum exemplum afferri poteſt, propterea quòd talis locus non eſt ſeparatus à cauſa, veluti aliquod membrum, ſed veluti ſanguis commixtus, & confuſus eſt per totum corpus Orationis ex Cic. & ideò qui velit dare exemplum, daret totam orationem. Hoc igitur relinquitur iudicio ipſius Oratoris. Vt Cic. in Miloniana in exponendis inſidijs commoratur.

Quibus rebus accõmodari poteſt hæc Exornatio? Omni generi, graui figurę, confirmationi, & confutationi.

De Contentione.

QVid eſt Contentio, græcè Antitheton? Exornatio, qua duo contraria in vno membro collocantur, hoc modo: Vos huius incommodis lugetis, iſte Reip. calamitate lætatur. Quæ

Quæ differentia eſt inter hanc, & ſuperiorem poſitam in exornationibus verborum? Illa magis verba reſpicit, hæc autem magis ſenſum, & rem ipſam. Multæ autem ſunt figuræ, vt tam apud Quintil. quàm apud Græcos eſt manifeſtum, quæ eodem nomine appellatæ, aliquam tamen habeant differentiam, ſicut Ironia, ſicut Antiphraſis, & ſimiles; alia enim verborum, alia ſententiarum eſt.

Græcè Α'ντίθετον, contrapoſitum, velut à quibuſdam vocatur Contentio: figura eſt, quæ fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur, vt Vicit pudorem libido, timorem audacia: vel ſi bina binis: Nam noſtri ingenij, veſtri auxilij eſt. vel ſententiæ ſententijs, Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Hæc ex Quintil. lib. 9. cap. 3. Aquila Romanus vocat oppoſitum ex contrarijs. Dupliciter fit in oratione. Nam vel dictiones inter ſe, vel affirmatio, & negatio opponuntur.

Quibus rebus applicari debet hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, confirmationi, & confutationi.

De

De Similitudine.

QVid eſt Similitudo, græcè Parabole, quam etiam Cic. Collationem vocat? Exornatio, qua rem minùs notam per aliã notiorem, quæ habeat cum ea aliquam ſimilitudinem, licèt in aliqua re ſit diſpar, demonſtramus.

Græcè Ὁμοιότης ητος ἡ, vel παραβολή ῆς ἡ. Parabola, comparatio, collatio, ideſt, rerum diſſimilium comparatio, inquit Donatus. Similitudo exponitur à Damnato, & interdùm ab eodem Parabola. Beda Venerabilis dicit rerum genere diſſimilium fieri παραβολήν Eſt autem Parabola comparatio ex diſſimilibus rebus: aliud enim in ſuperficie ſonat, & aliud in intellectu innuit. Aenigma verò quæſtio obſcura, quæ difficilè intelligitur, niſi aperiatur. Vt illud in lib. Iudicum, De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.

Hinc colligitur non eſſe neceſſe, vt Parabolæ per omnia congruant. S. Auguſt. de Doctr. Chriſtiana & lib. XVI. contra Fauſtum multis capitibus. Chryſoſtomus homilia LXV.

Quot

Quot de cauſis fit Similitudo? Quatuor. Ornandi, Probandi, Apertiùs dicendi, & Rem ante oculos ponendi.

Quot modis fit? Quatuor. Per Contrarium, Negationem, Breuitatem, Collationem.

Quomodo fit ornandi gratiâ per Contrariũ? Sic, Non quemadmodùm in palæſtra, qui tædas candentes accipit, celerior eſt in curſu continuo, quàm ille, qui tradit: ita melior imperator nouus, qui accipit exercitum, quàm ille qui decedit: propterea quòd defatigatus curſor, integro facem, hic peritus imperator imperito exercitum tradit.

Quomodò fit probandi gratiâ per negationem? Sic, Neque equus indomitus, quãuis natura benè compoſitus ſit, idoneus poteſt eſſe ad eas vtilitates, ~~& aptus~~, quæ deſiderantur ab equo: neque homo indoctus quanquàm ingenioſus ad virtutem poteſt peruenire.

Quomodo fit apertiùs dicendi cauſa per Breuitatem? Hoc modo: In amicitia gerenda, ſicut in certamine currendi non ita conuenit exerceri: vt, quoad neceſſe ſit per-

peruenire poſſis, ſed vt productus ſtudio, & viribus vltra facilè procurras.

Hac enim ſimilitudine demonſtrat Cic. amicitiam alicuius debere durare vltra mortem amici, & tranſire etiam ad filios, qui ab amico relicti ſunt.

Quomodo fit gratia ponendi rem ante oculos per collationem? Sic: Vti ſiquis cum prodierit optimè veſtitus, pallâ inauratâ indutus, cum Chlamyde purpurea coloribus varijs intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam auro, & ebore diſtinctam, & ſi cũ magnam populo commouerit his rebus expectationem, repentè ſilentio facto, vocem emittat acerbiſſimam, quò meliùs ornatus, & magis fuerit expectatus, eò magis deriſus, & contemptus eijcitur. Ita ſi quis in excelſo loco, & in magnis, ac locupletibus copijs collocatus, fortunæ muneribus, & naturæ commodis omnibus abundabit, ſi virtutis, & artium, quę virtutis magiſtræ ſunt, egebit quò magis cæteris rebus erit copioſus, & illuſtris, & expectatus, eò vehementiùs

deri-

deriſus, & contemptus ex omni conuentu bonorum eijcietur. Fit etiam ſimilitudo per Translationem hoc modo: vt, Hirundines æſtiuo tempore prçſto ſunt, frigore pulſæ recedunt: ex eadem ſimilitudine nunc per translationem verba ſumimus, ita falſi amici ſereno vitæ tempore prçſto ſunt, ſimulatque hyemem fortunæ viderint, deuolant omnes.

Quibus rebus perapta eſt hæc Exornatio? Omni generi, & maximè Demonſtratiuo, omni figuræ, confirmationi, & confutationi, interdum exordio, & narrationi.

De hac figura eruditè in lib. de Copia autor damnatus, & Quint. in ſuis orat. inſtitutionibus, in quibus plura hic, quàm quis alius de ea locutus videtur, ac ita apertè, vt expoſitione non egeat.

De Exemplo.

QVid eſt Exemplum græcè Paradigma? Exornatio, qua factum, aut dictum præteritum cum certi authoris nomine proponimus.

Quot de cauſis ponitur Exemplum? Toti-

dem,

dem, quibus & ſimilitudo, & ijſdem modis, rationibus, & habet maximam vim apud Oratores ad exhortandum, & dehortandum.

Exempla exemplorum non ponimus, quoniam ab Exemplis ſimilitudinis poſſunt intelligi. Prætereà ſuperiùs in Expolitione attulimus exemplum Decij, quo facilè patere poteſt, qualia debeant eſſe Exempla. Complectitur enim Exemplum, non ſolùm ſimilitudinem, ſed etiam fabulas, apologos, Prouerbia, iudicia, Chreias, &c. diligenter de Exemplis, eorumque vſu author in copia. Lege Fabium lib. 5. cap. 11. & Rodolphum Agricoiam lib. 1. cap. 15. & lib. 2. cap. 14.

Græcè παράδειγμα, τος, τὸ Latinè Exemplum, ſimilitudo, ſpecimen, modus, ſignum, argumentum, exemplar, iudicium. Eſt item παράδειγμα enarratio exempli hortantis, vel deterrentis, teſte Venerabili Beda. Hoc dicitur propriè de animatis, Parabola verò de inanimatis. Eiuſdem triformem rationem annotauit Iul. Ruf. Nam παράδειγμα aut perſonas tantùm exhibet ſine ſermone,

aut

aut ſermonem ſine perſonis, aut ſimul vtrunque. Vide Quintil. lib. 5. cap. 10. & lib. 9. cap. 2.

Quibus rebus accommodatur hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, confirmationi, & confutationi, & perorationi, & maximè in genere Deliberatiuo.

De Imagine.

QVid eſt Imago? Exornatio, qua formam cum forma, quadam ſimilitudine, conferimus, & ſumitur laudis, aut vituperationis causâ. Laudis, hoc modo: Ibant in prælium corpore tauri validiſſimi, impetu Leonis acerrimi ſimiles. Vituperationis, aut odij causâ, hoc modo: Iſte quotidie per forum medium tanquam iubatus draco ſerpit dentibus adũcis, aſpectu venenato, ſpiritu rabido circumſpectãs huc & illuc, ſi quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, ore attingere, dentibus inſecare, lingua poſſit aſpergere. Et illud Virg. Os humeroſque Deo ſimilis. hic enim ad Dei imaginem comparat Aeneam Poëta.

Græcè Εἰκὼν, ἰκὼν, qua latinè nos etiam vtimur declinando Icon, huius iconis, f. g. ideſt, imago, ſimilitudo, ſtatua, ſimulacrum, effigies, perſona, &c.

Quibus rebus perneceſſaria eſt hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, confirmationi, & confutationi.

De Effictione.

QVid eſt Effictio, Proſopœia dicta? Exornatio, qua exprimimus, vel effingimus noſtris verbis alicuius perſonę figuram, hoc modo: Illum dico, Iudices, rubrum, breuem, incuruum, canum, ſubcriſpum, cæſium, cui ſanè magna eſt in mento cicatrix, ſi quo modo poteſt verbis in memoriam redire.

Iſta verò Προσωποποιΐα græcè ſcripta perſonæ confictio eſt, cum rebus inanimatis perſonam, orationemq́ue tribuimus, aut defunctos tanquam viuos, & præſentes inducimus. Deſcribunt hanc figuram Rom. Aquila, Rufin. & Rutil. Lupus. Vide etiam Quintil. lib. 6. cap. 1. & lib. 9. cap. 2.

Quibus rebus apta eſt hæc Exornatio? Omni

ni

ni generi, omni figuræ, & omnibus parti-
bus Orationis, præterquàm Diuiſioni.

De Notatione.

QVid eſt Notatio, quę ab alijs ſub Periphraſi comprehenditur, ab alijs dicitur Ethopœia? Exornatio, qua exprimuntur mores, & naturæ hominum plerunque in deriſionem, & quandoque in laudem. Exempla Notationis crebra ſunt apud Comicos, vt Traſonis militis glorioſi, Gnatonis guloſi alicuius ambitioſi, amatoris, luxurioſi, furis, inuidi, timidi. Quare quiuis poterit indè ſumere Notationis exemplum, præter illud, quod ponitur in Rhet. ad Herenn. de quodam oſtentatore, qui ſimulabat habere plures ſeruos, plura vaſa argentea, plures ædes amplas, cum reuerâ nihil haberet.

Græcè Notatio dicitur Σημείωσις, εως, ἡ. Ab alijs Περίφρασις, ιος, ἡ. circūlocutio, circuitus loquēdi: circuitio à Terentio dicitur in Andria. Nihil circuitione vſus eſt. Hæc figura fieri debet, aut ornandæ rei causâ, quæ pulchra eſt: aut vitandæ, quæ turpis eſt. Ab alijs

dicitur Ἠθοποιΐα ἡ. morum expreſſio, affectuumq́ue figuratio, imitatio, morum alienorum notatio. dicitur & Μίμησις ἤθους, imitatio loquentis, à Priſciano allocutio vertitur. Ἠθοποιΐα, Ethopœia (inquit Rom. Aquila) eſt moralis confictio; differt à proſopopœia, eo quòd ibi & perſonas fingimus, quæ nuſquam ſunt: his certis quibuſdam, vel perſonis verba accommodare adfingimus, ad improbitatem earum, vel ad dignitatem demonſtrandam. Ethopœia (inquit Iul. Rufinianus) eſt alienorum affectuum qualiumlibet, dictorumq́ue imitatio non ſine reprehenſione. Latinè dicitur figuratio, vel expreſſio, Τὸ ἠθοποιϊκὸν, facilitas ſeù ingenium ſe in multos mores vertendi. Bud. in Epiſt. poſt.

Quibus rebus adhiberi poteſt talis Exornatio? Generi Demonſtratiuo, mediocri, & attenuatæ figuræ, narrationi, confirmationi, & confutationi.

De Sermocinatione.

QVid eſt Sermocinatio, græcè Dialogos, vel Dialogyſmos? Exornatio, qua

duæ,

duæ, vel tres perſonæ, vel plures introducuntur loqui pro earum dignitate, & affectu, vt ſenex loquatur more ſenum, adoleſcens more adoleſcentium, & Matrona more matronarum, vt licet videre apud Comicos, qui in omni re & actu maximè ſeruant decorem perſonarum; ſic etiam tot Thucydidis, Salluſtij, & Liuij orationes effinguntur. E.g.

Finge Hecubam ſic alloquentem Priamũ armatum, vt omnia extrema tentaret: O coniux miſerrime, quæ mens tam dira impulit te indui his armis? Quò tendis? Non opus eſt nobis tali auxilio: ſi ipſe meus Hector nunc adeſſet, nullo pacto poſſet reſiſtere tot periculis vndiquè imminentibus. Verùm concedas ad hanc aram Iouis O. M. quæ nos omnes tuebitur: Ecce interim ſuperaduenit Pyrrhus Polyſtem insequens; quem tandem ante oculos, & ora ipſorum crudeliter interfecit. qua re viſa Priamus, quàmuis mortem præſentem cerneret in Pyrrhum ſic exclamauit: Dij tibi, ſi qua pietas eſt Cœlo, quæ huiuſcemodi nefaria ſcelera curet, reddant præ-

mia digna tanto ſcelere, qui nihil es veritus filium ante patris pedes occidere, & parentum vultus filij ſanguine fœdare: non eſt credendum te eſſe genitum ex illo magnanimo Achille, qui admiratus fidem mei ſupplicis, corpus mei filij Hectoris mihi reſtituit, & me tutum in mea regna remiſit. cui Pyrrhus ſubridens ait, cum res ita ſit, ito nuncius ad patrem meum, & dicito me longè naturâ ab eo alienum eſſe, nunc morere, vt hac in re mihi obſequaris. Atque impiè Priamum ante aras Iouis mactauit. Et Hecubam mariti cadauer poſtremùm amplexari volentem, captiuam fecit, & indè abſtraxit.

Fit etiam Sermocinatio, ſi plures perſonæ introducantur cum affectu & dolore exponere incommoda, quæ ſint paſſuræ, ſi aliter iudices iudicarint.

Græcè Διαλογισμός, οῦ, ὁ, vel Διάλογος, quę duę voces ſonant idem, ac ſermocinatio, eſtque diſputatio, diſceptatio, ratiocinatio, confabulatio, collocutio, conſultatio. Et Quintiliano Dialogus, hoc eſt, ſermo ex interrogatione, & reſponſione compoſitus, de

ea re, quæ vel philoſophiam, vel Reip. partes attingat, diſceptans, cum appoſita verborum, perſonarumq́ue expreſſione. Laërt. in vita Platon. & Bud. Com.

Quibus rebus adaptari debet hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, narrationi, & concluſioni.

De Conformatione.

QVid eſt Conformatio, græcè Idolopœia? exornatio, quæ fit, cum aut mutæ res, aut mortui introducuntur loqui, hoc modo: Quòd ſi hæc vrbs inuictiſſima nunc vocem emittat, non'ne hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis trophęis ornata, triumphis ditata certiſſimis, clariſſimis locupletata victorijs, nunc veſtris ſeditionibus vexor, ò Ciues, quam dolis perfida Carthago, viribus probata Numantia, diſciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam nunc patiemini ab hominibus teterrimis proteri, atque conculcari? item: Quòd ſi nunc ille Iunius Brutus reuiuiſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non'ne hac vtetur oratione? Ego Reges ieci, vos Tyrannos

introducitis. Ego libertatem, quæ nunquam antea in noſtra ciuitate fuerat, peperi, vos partam ſeruare non vultis.

Grȩcè ſcribitur Ἐιδωλοποιΐα, ſimulacri fictio ſeù formatio, figura quippe eſt, cum introducitur perſona nota, ſed mortua, & quæ loqui deſierit, ſicut apud Euripi. in Hecub. Polydori introducitur idolum.

Quibus rebus congruit hæc Exornatio? Generi Iudiciali, & Deliberatiuo, graui figuræ, concluſioni potiſſimùm, & amplificationi.

De Significatione.

QVid eſt Significatio, græcè Ἔμφασις, εως, ἡ, & Latinè Emphaſis reddita? Exornatio, qua plus ſuſpicionis in animo Auditoris relinquitur, quàm verbis exprimitur. Veluti ſi dicas: Tu Cretenſi fidem habes? Non ſignificat ſimpliciter hominem in Creta natum, ſed gentis illius ingenio perfidum.

Quot modis fit ſignificatio? Quinque. Exuperatione, Ambiguo, Conſequentia, Abſciſſione, & ſimilitudine.

Quo-

Quomodo fit per Exuperationem ? Hoc modo: Hic de tanto patrimonio tam citò teſtam, qua ſibi petat ignem, non reliquit.

Quomodo per Ambiguum ? Quando verbum plures habet ſignificationes, ſed accipitur in ea ſignificatione; quam vult ipſe, qui dicit, vt ſi quiſpiam de eo, qui multas hæreditates adierit, loquatur: Proſpice tu, qui plurimùm cernis, ideſt, qui attentus es, & diligens.

Quomodo fit per Conſequentiam ? Hoc modo: Si quis Salſamentarij filio dicat: Quieſce tu, cuius pater naſum cubito ſolebat emungere.

Quomodo fit per Abſciſſionem ? Hoc modo, Qui iſta forma, & ætate nuper alienæ domui, nolo plura dicere. Loquitur de ſene, qui vitium intulit.

Quomodo per ſimilitudinem ? Ita: Noli, Saturnine, nimiùm populi frequentiâ fretus eſſe, ſtultitiam noſce Gracchi.

Quibus rebus congrua eſt hæc Exornatio ? Omni generi, omni figuræ, confirmationi, & confutationi.

De

De Breuitate.

QVid eſt Breuitas, græcè βραχυλογία. ας, ἡ vt inquit Fabius lib. 8. cap.3. alijs dicta συντομία, Syntomia. A Rutilio poſſet corrigi βραχυμυθία, ας, ἡ. Breuiloquium, ſermonis compendium, breuiloquentia, dicendi breuitas? Exornatio, qua res tantummodò verbis neceſſarijs expeditur, & breuiſſimè abſoluitur, vt: Si quis de Xerſe hoc modo loquatur: Lemnum pręteriens cepit; indè Tharſi præſidium reliquit; poſt vrbem in Bithynia ſuſtulit; indè pulſus in Helleſpontum ſtatim potitur Abydo. item. Si quis de Mario hæc diceret: Mòdò conſul, quondam Tribunus, deindè primus erat, tum proficiſcitur in Aſiam: deinde exul, & hoſtis eſt dictus, poſt Imperator, poſtremò conſul eſt factus.

Quibus rebus quadrare videtur hæc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, & partibus Orationis, narrationi, & perorationi.

De

De Demonſtratione.

QVid eſt Demonſtratio, Latinis quibuſdam *Euidentia*, alijs *Repræſentatio*, græcis tum *Phantaſia*, tum *Exergaſia*, hoc eſt, φαντασία, ας, ἡ. vel ἐξεργασία, ας, ἡ, diligentia in efficiendo opere? Exornatio, qua res ita verbis exprimuntur, vt geri videantur & ante oculos audientium poni: hoc modo, Quod ſimul atque Gracchus proſpexit fluctuare populum, verentem, ne ipſe authoritate Senatus commotus à ſententia deſiſteret, iubet aduocari concionem. Iſte interea ſcelere, & malis cogitationibus redundans euolat ex templo Iouis, & ſudans oculis ardentibus, erecto capillo. contorta toga, cum pluribus alijs ire celeriùs cœpit. Illi præco faciebat audientiam, hic ſubſellium quoddam calce premens, dextra pedem defringit, & alios hoc idem iubet facere. Cum Gracchus Deos inciperet precari, curſim iſti impetum faciunt, ex alijs, alijſque partibus conuolant, atque è populo vnus: fuge, inquit, Tiberi, fuge. non vides? Reſpice inquam. Deinde vaga mul-

multitudo ſubito timore perterrita, fugere cœpit. Iſte ſpumans ex ore ſcelus, anhelans ex infimo pectore crudelitatem, cõtorquet brachium, & dubitanti Graccho, quid eſſet, neque tamen locum, in quo conſtiterat, relinquenti percutit tempus: ille nulla voce delibans inſitam virtutem, concidit tacitus: iſte viri fortiſſimi miſerando ſanguine aſperſus, quaſi facinus præclariſſimum feciſſet, circumſpectans & hilaris ſceleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Iouis contulit ſeſe. Cic. ad Heren.

Quid aduertendum eſt in hac Exornatione? Vt omnia ponantur ante oculos, quæ geſta ſunt ante negocium, in negocio, & poſt negocium.

Quibus rebus accommodari debet hęc Exornatio? Omni generi, omni figuræ, narrationi, & perorationi. De figurarum conſtructione ita Cic. ad Herenn.

De Periodis.

QVid eſt Periodus Græcè περίοδος, ὁ, ἡ. & Latinè à Cic. dicta Ambitus, Circuitus, Com-

Comprehenſio, Continuatio, Circumſcriptio? Oratio, quæ pluribus membris inter ſe cohærentibus plenam, abſolutamque ſententiam complectitur, vel & breuiùs. Periodus eſt Orationis, velut quoddam integrum corpus, vt Cic. pro lege Manilia: Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter, multò iucundiſſimus, hic autē locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites; tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt.

Quę'nam ſunt partes Periodi? Colon ſeù membrum, & Comma ſiuè inciſum.

Quid eſt Colon? Periodi pars, quæ perfectè quidem aliquid ſignificat, ſed Orationis quaſi gyrum non complet, & ſuſpendit potiùs, quàm abſoluat ſententiam, dum nihil per ſe ipſum efficit. vt, O Callidos homines. perfectum eſt, ſed remotum à cæteris, vim non habet, vt per ſe manus, & pes, & caput. ſequitur, O rem excogitatam! O ingenia metuenda! Hæc quoque mem-

membra ſunt. quando ergo incipit corpus eſſe? Nimirùm cum iam venit extrema conclusio. quem quaſi noſtrum fefellit, id vos ita eſſe facturos. hoc ex Cic. Fabius.

Vel Colon, græca dictio, Κῶλον, ὁ, τὸ, membrũ. inquit Romanus Aquila ex Iacobo Tuſano, eſt pars orationis ex pluribus verbis abſolutè aliquid ſignificans, cum duobus, aut tribus inciſis conſtet. hoc modo, Etſi vereor, Iudices, ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere.

Quid eſt Comma? Pars Membri, ac velut Articulus ex vno pluribus'ue verbis conſtans, quæ perfectè nihil ſignificat, ſed tantummodò inchoat ſententiam. Cic. Domus tibi deerat? At habebas. Pecunia ſuperabat? At egebas. Hic quatuor inciſa ſunt.

Quæ nam res recipiunt Periodos? Exordia, & Confirmationes magis, quàm Narrationes, quæ Colis ferè conſtant, ſed & Contentiones. & Diſputationes raras habent Periodos; quòd hæc potius breuibus quibuſdam membris quaſi aculeis conſtent. item Periodus ex Quintil. apta eſt Procemijs maiorum cauſarum. item communi-

bus

bus locis, & in omni amplificatione : multum & in Epilogis pollet.

Comma itidem dictio græca κόμμα ατος, τό incisum, inciſio, pars Periodi eſt. Cæſum (inquit Romanus Aquila) quod Greci appellant κόμμα. Eſt pars orationis nondum ex duobus,aut ex pluribus verbis quicquã abſoluti ſignificans, hoc modo: Etſi vereor, Iudices, ne turpe ſit; Nonnunquam tamen cæſam dicimus orationem, quoties non efficiuntur verba ex connexione verborum, ſed ſingula, quamuis ſignificantia proferantur, ad iſtum modum: Quis eſt Lollius armiger, Catilinæ ſtipator, tui corporis concitator, tabernariorum percuſſor, latitator fori, depopulator Curiæ?

In quibus rebus ferè vtimur Colis? In Epiſtolis familiaribus: niſi ſi quod argumentum grauius tractetur. Item in Dialogis, & philoſophicis diſputationibus. Conſtat autem Colon duobus, vt minimùm commatis: vt, Obſequium amicos, veritas odium parit. Plerunque tamen plura Commata ſunt in Orationis membro, quemadmodum articuli plures in membro vno

cor-

corporis. item Cola in narrationibus crebra ſunt: vt, Milo domum venit, calceos & veſtimenta mutauit, pauliſper dum ſe vxor (vt fit) comparat, commoratus eſt. Sic & in Contentionibus: vt, Quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? Qui ſenſus erat armorum tuorum? Quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas?

Quis'nam ſermo conſtat Commatibus? Ferè quotidianus, & familiaris. Nam hìc modò breuia, modò longiuſcula habet commata, tanquam articulos Orationis. Neque tamen ex meris commatibus fit ſermo familiaris, ſed crebrioribus.

Quid inſuper in vtriſque, hoc eſt, Colis, & Commatibus obſeruandum? Illud, vt per gradus increſcat Oratio, videlicet, vt grauiſſimum quodque poſtremo ponatur loco. vt ſi dicas: Patrem infœlicem interemit, domo eiecit, eiectum probris, & contumelijs proſecutus eſt. Non'ne hic decreſceret Oratio?

De

De Numero Oratorio.

QVid eſt Numerus? Eſt quædam vocum dimenſio, qua Oratio componitur. Sunt autem hi numeri ſiue pedes.

Horum ſinguli ſyllabis conſtant binis.	Spondeus	l l
	Pyrrichius	b b
	Iambus	b l
	Trochæus, ſiue Choreus	l b

Hi octo ſyllabis conſtant tribus.	Dactylus	l b b
	Anapæſtus	b b l
	Amphimacrus, ſiue Creticus	l b l
	Amphibrachus	b l b
	Bacchius	b l l
	Palimbacchius	l l b
	Tribachus	b b b
	Moloſſus	l l l

Quorum pedum quò quique temporibus ſunt pleniores, longiſque ſyllabis magis ſtabiles, hòc grauiorem faciunt orationem: breues verò celerem, ac mobilem.

Hi ſyllabis quatuor.	Proceleumaticus		b b b b
	Pæon	Primus	l b b b
		Secundus	b l b b
		Tertius	b b l b
		Quartus	b b b l
	Epitritus	Primus	b l l l
		Secundus	l b l l
		Tertius	l l b l
		Quartus	l l l b
	Diambus		b l b l
	Ditrochæus		l b l b
	Diſpondæus		l l l l
	Choriambus		l b b l
	Ionicus à minore		b b l l
	Ionicus à maiore		l l b b
Hic quinque	Dochimus		b l l b l

Quinam pedes attribuuntur initijs? Omnes putantur apti, ſed præcipuè Creticus. Cicero orat. de Redit. Quod precatus à Dijs, &c. Frequenter hic initijs conuenit. Anapæſtus. Animaduerti, Iudices,&c. Pro A. Cluent. & in Paradoxis.

Pæones. Quod erat optandum. In Verr. &, Venio nunc, & Credo ego Vos Iudices, Pro Sext. Roſc.

Spōdęi. Quę res in Ciuitate,Pro P.Quint. Si quantum in agris, Pro Cæcinna.

Dacty-

Dactylus. Serius omninò Iudices.

Epitritus. Eſt hoc in more poſitum. De lege Agr. Si quid eſt in me, Pro Archia.

Iambus. vſus maximus in inuectiuis; nam inſignes numerorum percuſſiones reddũt. Quintil. putat optimè incipi à Longis, & rectè aliquando à Breuibus. vt, Nouum crimen, Pro Q. Ligario.

Qui medijs ſententijs, ſiue periodis Epitritus, Dactylus, Spondæus, Ditrochæus. Sunt autem breuibus miſcendæ ſyllabæ longæ, vt ipſa verborum aptior, & venuſtior exprimatur collocatio.

In medijs verò periodis, hoc eſt, in fine commatum, aut membrorum, ait Cic. Omnes debere eſſe permixtos, & quaſi confuſos pedes. Neque enim effugere poſſet animaduerſionem Orator, ſi ſemper iiſdem vteretur, tamen idem Cic. ſi rem tractat paulò grauiorem, eodem ferè in medio, quos in principio, pedes adhibet: vt Pro Marcello. Nullius, inquit, eſt tantum flumen ingenij, nulla dicendi, aut ſcribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare, C. Cæſar, res tuas

geſtas poſſit; tamen hoc affirmo,& hoc pace dicam tua, nullam in his laudem eſſe ampliorem, quàm eam, quam hodierno die conſequutus es. In qua periodo ſunt quidem alij pedes permixti. Sed illam maximè illuſtrem faciunt Dactyli, Cretici, Spondæi, & præterea etiam Spondęo iunctus Dochimus ex illis verbis, Hoc pace dicam tua; qui pes, vt Cic. ait,in quouis loco aptus eſt, modò ſemel ponatur. Hæc ex Bonciario lib.1.cap.8.

Quos in fine maximè probant?

Ditrochæos, vt Comprobauit.
Epitritos, vt Redundarunt, videbatur.
Bacchium, vt Probarunt.
Moloſſum, vt Coniunctis.
Amphibrachum, vt Sinamus.

Hìc vnum notandum cum Bonciario, extremam ſyllabam,vt in Carmine, ſic in periodo communem cenſeri.

Cicero clauſulas diligentiùs, quàm ſuperiora ſeruari iubet, quod in ijs numerorum perfectio, atque abſolutio iudicetur. In prima enim Orationis parte, multa non diligenter excipi putat: in poſtrema verò

omnia

omnia intelligi, omnia iudicari, eoq́ue varia collocatione omnia varianda eſſe, ne aut animorum iudicio repudientur, aut aurium ſatietate.

Quid prætereà in clauſulis obſeruandum eſt? Quod toto decimo capite ſuæ Rhetorices à Bonciario enarratur. In periodis terminandis, inquit ille, ſex, aut ſeptem ſyllabarum ratio habenda eſt: quæ verò dictiones intra hunc numerum continentur, eæ, videndum eſt, vt ſonoræ, ſplendidæ, atque elegantes ſint: longas verò, an breues habeant ſyllabas, ferè nihil intereſt præter penultimam: Quæ ſi breuis fuerit, celeriùs fluet Oratio; ſi longa tardiùs, grauiùſq́ue conſiſtet. Ergo ſi eſtrema dictio ſex, aut ſeptem ſyllabis conſtat, vt Commiſerationem, Miſericordiam: nihil vltra ſpectare oportet ad numeri concinnitatem, ſed pētaſyllabis aptè pręponitur Spondæus: vt, Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorreſcere: & Meæ vitæ rationes ab ineūte ętate ſuſceptæ prohibuerunt. In tetraſyllabis habeatur ratio penultimæ, nam ea ſi breuis fuerit, aliam

longam præcedere ferè conuenit; Si longa, breuem: vt Meam cauſam, rationemque cognoſcerent: &,Nulla vnquam ætas de tuis laudibus conticeſcet. In triſyllabis idem ferè obſeruatur: vt, fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris: &,Vbi hæc abſoluero, finem faciam dicendi. Sed hic Choreus quoque eleganter prẹponitur:vt, Liberos eius, patriamque reſpexit. Quòd ſi magna celeritas exprimenda erit, corripies vtramque: vt, Subitò concidit: contra,ſi magna tarditas produces vtramque: vt Conſeruaui vniuerſos. Diſyllaba ſonant ſuauiſſimè, ſi in Iambum cadunt, præcedente Spondæo: vt, Conſeruatam, ac reſtitutam puto: &, Cupio res noſtras monumentis commẽdari tuis. Contra,Spondæo, Iambus, aut Creticus anteponitur: vt,Carere me aſpectu Ciuiũ, quàm infeſtis oculis omnium conſpici, mallem. Denique dictio monoſyllaba, vel aliam monoſyllabam adiungit ſibi: vt Hæc (mihi credite Iudices) aſpernanda non ſunt; vel polyſyllabam longâ penultimâ, vt mihi non tam copia, quàm modus in dicendo quærendus

rendus eſt, quod ſi occurrat Synalæpha, nihil impedit breuem præcedere: vt, Vbi libido dominatur innocentiæ, læue præſidium eſt. At periodi longiores polyſyllabo ſæpè clauduntur; eoque potiùs verbo, quàm nomine; & ex nominibus, adiectiuo potiùs, quàm ſubſtãtiuo: modò illud ſciatur, finem carminis non conuenire Orationi: quod tamen Bruto excidit: vt, Quanquàm ſicut placuiſſe Catoni.

Lecto iam exordio huius Orationis, quam modò præ manibus habuimus, transferenda in hæc tua ms. ea, quæ ex Ceruto in Orationem Cic. pro l. Manilia excepimus, ingenioſè, & bene iudicaſti.

Argumentum.

Contra Mithridatem Regem Põti à Pop. Rom. cum Imperio miſſi ſunt Sylla, & Lucullus, quorum alter, Lucullus ſcilicet, cum à ſuis militibus derelictus eſſet, bellum conficere non potuit. Ideoque Senatuſconſulto à bello reuocatur. Quia verò ſupererat, vt in eius locum alter dux crearetur, Cicero oratione hac ſumma

ope nititur perſuadere Romanis, vt vnus Pompeius exercitui Imperator præficiatur.

Titulus.

ORationis titulus pro lege Manilia eſt. Hanc enim legem promulgauit C.Manilius tunc Tribu. Pleb. adnitente quàm maximè Cicerone Prętore.

Status.

COniecturalis eſt Status huius orationis. Nam hanc legem Manilij Optimates oppugnabant. Cicero contra contendebat, Pompeium vnum eſſe, qui huic bello præficiendus eſſet.

Genus cauſæ.

ORatio eſt generis deliberatiui; verſatur enim præcipuè circa ſuaſionem. Et licet Cic. admiſceat in hac oratione laudes Gnei Pompei, non propter eà ad Demonſtratiuum genus referendum eſt. Tria enim genera illa quandoque ſimul miſcerentur, vt mediocriter in præceptis Rhetoricæ verſati non ignorant.

Exor-

Exordium.

EXordia in cauſis deliberatiuis breuiſſima eſſe debent ex Cic.in Partitionibus. Ipſa enim res, de qua conſultatur, abundè attentos facit. Ariſt.3. Rhet. Tunc, inquit, Procemio in deliberatiuo genere vtẽdum, cum inter eos,qui ſententiam dicunt, controuerſia eſt.

Narratio.

IN cauſis deliberatiuis, ex Cic. aut nullã, aut prorſus breuis debet eſſe narratio. Hic talis,ac tanta eſt,quantùm ſcilicet exigit neceſſitas rei.

Diuiſio.

DIuiſio à pleriſque ſit tertia pars orationis, neque vnquam in oratione omittenda. Hic certè non omittitur, cum eã diuidatur dupliciter, vna per enumerationem; altera per expoſitionem. Huius orationis diuiſio eſt per enumerationem. Cic. enim numero, ſiuè ordine demonſtrat,quibus de rebus ſit dicturus, hoc modo: Primùm

mùm mihi videtur de genere belli, deindè de magnitudine, tum de Imperatore eligendo, eſſe dicendum.

Confirmatio.

Dictum eſt ſupra, huius orationis genus ſine reprehenſione miſtum dici poſſe. Ideò hic duplex eſt confirmatio, altera, quæ ad deliberatiuum, altera quæ ad demonſtratiuum genus pertinet. Illa deliberatiui quaſi hac ratiocinatione circumſcribitur. Quibus in bellis de Populi Romani gloria agitur, ea ſuſcipienda ſunt: Sed Aſiaticum hoc bellum eſt, in quo de P. R. gloria agitur: Ergo Aſiaticum bellum ſuſcipiendum eſt. De confirmatione, quæ demonſtratiui generis eſſe videtur, hac ratiocinatione complecti putamus. Qui rei militaris ſcientia, virtute, auctoritate, & felicitate excellunt, ij ſunt Imperatores deligendi: Sed Cn. Pompeius his omnibus excellit. Igitur Cn. Pompeius deligendus eſt.

Pero-

Peroratio.

PEroratio adhibetur ad mouendos animos, habetque ſimile quiddam cum Exordio. Hoc tamen mitiores habet affectus: Peroratio verò perturbationes, & commotiones continet. Docet Cic. in Partitionibus, Orationem concludi poſſe, vel amplificatione, vel enumeratione: illa habet locum in accuſationibus, hæc verò in deliberationibus.

Elocutio.

CIc. in lib. de Orat. ſcripſit, Pompeium Manilia lege fuiſſe ornandum, temperata tamen oratione. quòd modeſtè ab ipſo dictum æſtimare debemus. In illa verò oratione quos numeros, quæ ornamenta non adhibuerit? Sunt in illa crebræ amplificationes, concinnæ ſententiæ, ornamentorum cuiuſque generis lumina, quæ totam orationem ſuauem, & illuſtrem efficiunt.

Cice-

Cicero.

QVanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multò iucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptę, prohibuerunt. Nam cum antea per ætatem nondum huius auctoritatem loci contingere auderem, ſtatueremque, nihil huc niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtriâ afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus trãſmittendum putaui. Ita neque hic locus vacuus vnquam ab ijs, qui veſtram cauſam defenderent, & labor, in priuatorum periculis, caſtè, integreque verſatus, ex veſtro iudicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus. Nam cum propter dilationem comitiorum ter prætor primus centurijs cunctis renunciatus ſum, facilè intellexi, Quirites, & quid de me iudicaretis, & quid alijs præſcriberetis. Etc.

Quia numeroſa debet eſſe oratio, vt inquit Ariſt. 3. Rhetor. ideò agnoſcamus nunc aliquid de Numero contento in hac orationis particula à nobis tranſcripta, cum idem numerus oratorius dimenſio quædã orationis ſit, vt ſupra cum Scriptoribus ipſius retulimus in eiuſdem definitione.

Tres tantùm, aut duos pedes in principio, & totidem in fine obſeruandos eſſe colligit ex Doctrina ipſius met Ciceronis in ſua explanatione Cerutus. Ita ſcilicet.

(Quanquam mihi ſemper frequens) hic incipit à duobus herois, ſpondæo ſcilicet, & Anapæſto, cui addit Creticum; vt,

l l | b b l | l b l |
Quanquam | mihi ſem | per frequens |

Itidem terminatur periodus hæc duobus herois, Spondæo ſcilicet Dactylo, & Bac-

l l | l
chio (ſuſceptę prohibuerunt) ſuſce | ptę

b b | b l l |
prohì | buerunt |

(Nam cum antea per ætatem) Periodus hæc à duobus herois, Spondæo, & Scolio, qui Dactylo eſt æqualis, incipit, quos ſequitur

Digitized by Google

tur Moloſſus: terminatur duobus Spōdęis,
l l l l b l l
& Bacchio : tranſmittendum putaui.

A Scolio græcè Σκολιά τά carmina conuiualia, ſic dicta, quòd non quiuis ea caneret, ſed eruditi dumtaxat. In quodam ſuorum carminum, legitur in Lexico Græcolatino, declarare Alcæus poëta.

(Ita neque hic locus) Tertia hæc Periodus initium ſumit à Pæane, & Iambo, cuius humilitas ſtatim altero Pæane extollitur, deinde Anapæſto. Ita neque hic locus vacuus vnquam ab ijs : terminatur tribus grauiſſimis numeris Spondæo, Epitreto, & Dichoræo (fructum eſt ampliſsimum conſecutus) Dichoræus pes lepidus, & ſuauis apud Ciceronem in fine ſententiæ frequens eſt.

Recognoſcantur etiam in hoc eiuſdem orationis pro lege Manilia procemio Exornationes duæ, vel tres (vt breuitati ſtudeamus) verborum, ſeu dictionum : Prima eſt Similiter cadens, cum plures caſus in eundem exitum finiunt (iucūdiſſimus, ampliſſimus, ornatiſſimus.) Altera eſt Traductio,

qua

Digitized by Google

qua idem verbum crebriùs ponitur diuerſo tamen in caſu, aut genere, aut numero, vt in libello, qui Eruditionis Analecta inſcribetur, tuoque ſub clariſſimo nomine propediem edendus erit ſcripſimus. Figura hæc eſt: (Non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes.) Tertia denique eſt Similiter deſinens, cum tametſi caſus propriè non inſunt in verbis, ſimiles tamen exitus ſunt. Hoc modo: (Et quid de me iudicaretis, & quid alijs præſcriberetis:) Hactenus propter temporis anguſtias.

Ad hæc ſubſequuntur Notæ eiuſdem Bonciarij nunquam ſatis laudandi. Sunt aliquæ, inquit ille, verborum, vel ſententiarum figuræ, quæ ſua ſponte harmoniam quandam efficiunt, ideoque Oratori laborem minuunt metendi pedes, & quærendi aptè cadentes numeros. Ea ſunt Similiter cadentia, Similiter deſinentia, Contrapoſita, Sententiæ, Gradationes, aliæque nonnullæ: in quibus etſi nulla pedum ratio habeatur, tamen aptè, atque concinnè cadunt.

Cum genera cauſarum ſint diuerſa, deſiderant'ne

rant'ne

Digitized by Google

rant'ne diſſimilem quoque componendi rationem ? Maximè. Neque enim ſemper Iudices concitamus, aut affectuum incendimus facibus, nonnunquam miſerabiles, modeſtos, lenes, miſericordes eſſe volumus; ideoque Cic. in diuerſis Orationibus, diuerſis numeris vſus deprehenditur. Genus quoque Demonſtratiuum fuſiores, liberioreſque habet numeros, ſolutum, & affluens tùm verbis, tùm ſententijs: pompæ tamen magis, quàm contentioni aptum: Et varios pro materia numeros ſortiuntur Deliberatiuum, & Iudiciale Genus. Aliud item Conſolatio, aliud ſermones, aliud diſputationes, aliud hiſtoria, quę lubrica eſt, & fluit, aliud item philoſophia, quæ verbis popularibus inſtructa, nihil iratum, nihil atrox, nihil aſtutum, aut inuidum habet, dicendi genus deſiderat: neque idem Senatui, populo, iudicibus, & concionibus conuenit, & qua ſit ætate, honore, auctoritate ipſe ille, qui dicit, magnoperè refert. Nec orationis genera ſolùm, ſed etiam partes diuerſam habent compoſitionem. Nam exordia ferè ſunt

vere-

verecunda, & ſententijs, quàm verbis intenſiora, vel ad offenſionem aduerſarij, vel Oratoris commendationem. Narratio hiſtorico ferè, & quotidiano ſermone explicatur. Contentio in paruis exiliori, in magnis ampla, & vehementi Oratione funditur, nunc regens, nunc flectens, & in quancumque voluntatem Auditorum animos rapiens. Atque hoc in cauſa fuiſſe opinor, quòd Rhetores diuerſas dicendi formas fecerint.

Quotuplex igitur erat veteribus dicendi genus? Triplex, Atticum, Aſianum, Rhodium.

Atticum erat preſſum, ſubtile, limatum, emunctum, venuſtum, nihil inane, nihil redundans, nihil ocioſum proferens: ſiquidem in cauſis iudicialibus apud Athenienſes ſic præco dicturos euocabat; Si quis dicere velit, ſurgat, ſed ſine Proœmio, & affectibus, vel peroratione. Quo factum eſt, vt in illorum oratione nihil eſſet ſuperuacuum.

Aſianum verò genus inane erat, tumidum, inflatum, redundans verbis atque affecti-

bus immodicis: Huic & modus, & Iudicium deerat.

Tertium erat Rhodium ex vtroque mixtũ, neque Aſiano more abundans, neque Acticè preſſum.

Tres ſunt aliæ, vt numerat Ringelbergius, ſcribendi formæ, quæ è ſuperioribus ortæ videntur, græci Καρακτῆρας Characteres vocant. Prima grauis, ſublimis, magnifica, grandis, robuſta: Secunda mediocris, vel moderata, temperata, vel æquabilis. Tertia tenuis, ſubtilis, humilis. Quę eadem Cic. in lib. de Orat. recenſet his verbis: Hinc naſcitur triplex habitus, ſpecies, idea, vel forma Orationis: quorum primum genus eſt plenum, & tamen teres, ſublime, graue. Secundum tenue, humile, non ſine neruis, ac viribus. Tertium mediocre, moderatum dicitur, quod laudabili mediocritate conſtat. Dicendi genus graue eſt, quod conſtat verborum grauium magna, & ornata conſtructione. Mediocre, quod magnifica illa Orationis ſpecie paulò eſt humilius; neque tamen ad infimam formam deſcendit. Humile, quod quotidiano

diano ſermoni ſimillimum eſt. Vberi Dignitas, atque amplitudo. Gracili venuſtas, & ſubtilitas. Moderatum vtriuſque particeps eſt. Sublime in Pacuuio. Gracile in Lucilio. Mediocre in Terentio. Apud Homerum, magnificum in Vlyſſe: ſubtile in Menelao: Moderatum in Neſtore. Et Virgilij Bucolica humilia, quia tenui ſtylo ſcripta ſunt: Georgica mediocri: Aeneis ſublimi. Tragœdiæ graues ſunt. Mediocres Comœdiæ. De Tragœdia Ouidij carmen eſt in Triſtibus.

Omne genus ſcripti grauitate Tragœdia vincit.
Hæc quoque materiam ſemper amoris habet.

In Comœdia quandoque ſublimitas quædam commiſcetur: ſic apud Terentium in Adelphis tragica eſt exclamatio. O Cœlum, ò terra, ò maria Neptuni. In Eunucho Thraſo magnifica, & militaria verba habet. Prima Plauti Comœdia cæteris eſt ſublimior; quia perſonas Deorum, & Ducum deſcribit. De hac re Horatius:

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratuſq; Chremes tumido delitigat ore.

hoc eſt more tragico. Alius Comicus alio eſt ſublimior. Quemadmodùm tria ſunt officia Oratoris: vt probet, vt delectet, vt flectat: ſic totidem dicendi genera ſunt, ſubtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo. In docendo acumen, in delectando lenitas, in mouendo grauitas requiritur. Exordium dicendi genus modeſtum requirit. Narrátio, Confirmatio, & Confutatio pro rerum natura aliud ac aliud: Peroratio verò amplum, magnificum, acre, ardens, vehemens, concitatum. Cicero rationem reddit, cur tam diuerſæ dicendi formæ extiterint. Cũ Oratio, inquit, mollis eſt, & tenera, & ita flexibilis, vt ſequatur quòcunq; torqueas, tum variæ & naturæ, & voluntates multùm inter ſe diſtantia effecerunt genera dicendi. Flumen alijs verborum, & volubilitas cordi eſt, qui ponũt in Orationis celeritate eloquentiam: alios interualla, moræ, ac reſpirationes delectant.

De

De Graui Oratione.

GRaue dicendi genus, cum res magnas amplâ, graui, & magnificâ verborum compoſitione deſcribimus: vt, Quis eſt veſtrùm, Iudices, qui ſatis idoneam poſſit in eum pœnam excogitare, qui prodere hoſtibus patriam cogitarit? Quod huic ſceleri dignum ſupplicium poteſt inueniri? In iis, qui violaſſent ingenuam matremfamiliâs cōſtupraſſent, pulſaſſent aliquem, aut poſtremò necaſſent, maxima ſupplicia maiores noſtri conſumpſerunt. Huic truculentiſſimo, ac nefario facinori ſingularē pœnam non reliquerūt. Atque in aliis maleficiis ad ſingulos, aut ad paucos ex alieno peccato iniuria peruenit. Huius ſceleris, qui ſunt affines, vno conſilio, vniuerſis ciuibus atrociſſimas calamitates machinātur. O feros animos! O crudeles cogitationes! O derelictos ab humanitate homines! qui id gerere auſi ſunt, aut cogitare potuerunt, quo pacto hoſtes reuulſis maiorum ſepulchris, deiectis mœnibus, ouantes irruerent in ciuitatem. Quomodo

De Mediocri forma.

MOderatum dicendi genus eſt, quod ſubtili plenius; & vehementi remiſſius eſt, hoc eſt, in quo mediocres ſententiæ, verba propria, ac decentia, & compoſitio plana eſt: ſic vt tam verba, quàm compoſitio paulùm vltra quotidiani ſermonis vſum adſurgant: vt, Quibus cum bellum gerimus, Iudices videtis. Cum ſocijs, qui pro nobis pugnare, & imperium noſtrum nobiſcum ſimul virtute & induſtria conſeruare ſoliti ſunt. Hi cum deliberaſſent nobiſcum bellum gerere, quæſo quæ res erat, qua freti bellum ſuſcipere conarentur, cum multò maximam ſociorũ partem in officio manere intelligerent. Cum ſibi non militum multitudinem, non idoneos Imperatores, non pecuniam publicam præſtò eſſe viderent; non denique vllam rem, quæ pertinet ad bellum adminiſtrandum? Adde, quòd rerum imperiti, qui vniuſcuiuſque rei, de rebus antè geſtis, exempla petere non poſſunt, per imprudentiam facilè deducuntur in fraudem.

At ij, qui ſciunt, quid alijs acciderit, facilè ex aliorum euentibus ſuis rationibus poſſunt prouidere. Nulla igitur re inducti, nulla ſpe freti, arma ſuſtulerunt? Quis hoc credat, tantam amentiam quenquam tenuiſſe, vt Imperium Pop. Romani tentare auderet, nullis copijs fretus? Hæc oratio quanquàm res magnas continet, tamen ſedatior eſt, & minùs acris, quàm graue illud dicendi genus, de quo ſupra mentionem fecimus. Hoc modo Cic. ferè de philoſophia ſcripſit. Eodem genere vſus eſt etiam pro lege Manilia. Pro A. Cecinna, & in libris Officiorum. In hoc vitioſi ſunt tumidi, & ſupini.

De Subtili Orationis Genere.

ORatio humilis eſt, quæ ſimplicem rei expoſitionem complectitur, & vſque ad vſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem deſcendit. Hoc genus verba habet ornata, non exquiſita, & ad docendum eſt accõmodatum. Exemplum eſt in Cicerone. Hanc loquendi formam tenuem nuncupamus: quoniam res humiles tractat, & hu-

humili conſtat verborum contextu. Vtitur eo in philoſophicis diſputationibus Cic. Ter. & Plaut. in ſuis Comœdijs, apud quos exempla, ſeu formæ ſunt petendæ.

Quod vitium vitandum eſt in figura graui? In tribus his dicendi generibus vitanda ſunt propinqua vitia, in quæ nonnunquam incidũt Scriptores, qui ſæpenumerò

Pro Vberibus ſufflati, atque tumidi ſunt:
Pro Mediocribus incerti, & ambigui:
Pro Gracilibus ſquallentes, & ieiuni:

De hac re Horatius.

Decipimur ſpecie recti; breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio; ſectantem leuia, nerui
Deficiunt, animique, profeſſus grãdia, turget.
Serpit humi tutus nimiũ, timiduſque procellæ.

Idem infra:

In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.

Grauitati affine eſt vitioſum genus, quod inflatum, aut tumidum appellamus; nam vt corporis bonam habitudinẽ tumor imitatur ſæpè: ita grandis Oratio ſæpè imperitis videtur ea, quæ turget, & inflata eſt, qua aut nouis, aut priſcis verbis, aut duriter aliunde tranſlatis, aut grauioribus, quàm

quã res poſtulat,aliquid dicitur, hoc modo: Nam qui perduellionibus venditat patriam,non ſatis ſupplicij dederit, ſi pręceps in Neptunias depulſus erit Lacunas. Pœnitet igitur iſtum,qui montes belli cõpoſuit, campos ſuſtulit pacis. Hic de periculo patriæ, hoc eſt, re graui ſermo eſt: verùm Oratio ipſa tumida, atque inflata eſt: in hoc dicendi genere plerique ſpecie grauitatis falluntur, nec proſpicere poſſunt Orationis tumorem.

Quæ vitia vitanda in genere moderato? Qui in mediocri forma cõſiſtere nequeunt, decidere ſolent in confine genus, quod appellatur diſſolutum, incertum,ambiguum. Id,eſt huiuſmodi: Socij noſtri cum belligerare nobiſcum vellent, profectò ratiocinati eſſent etiam atque etiam, quid poſſent facere. Siquidem ſua ſponte facerent, & non haberent hinc adiutores multos, & malos homines, & audaces. Solent enim diù cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere. Hic bellum aduerſus ſocios rei mediocris deſcribitur. Cæterùm Oratio diffluit, neque quicquam exprimit apto

apto contextu verborum.

Quid fugiendum in ſubtili ratione loquēdi? Qui in tenui Orationis ductu verſari non poſſunt, veniunt ad genus ſquallens, aridum, ieiunum, exangue: cuiuſmodi eſt hoc: Hic tuus ſeruus me pulſauit; poſteà dixit hic illi, Conſiderabo. Poſtea ille conuitium fecit,& magis ac magis pręſentibus multis clamauit. Hîc res humiles arido, ſquallente, ac ieiuno Orationis contextu exponuntur.

Quid ſeruandum, cauendumque in omnibus formis? In vniuerſum cauendum eſt, ne in mutanda figura è ſublimi repetè ad ima decidamus. Ne'ue ſubitò prorumpamus è gracili genere ad vehemens, ac concitatum: id enim furori videretur ſimile. Sed grauem orationem, mediocris: mediocrem excipiat attenuata: contra è tenui charactere per medium eamus ad ſublimem. Deindè identidem commutentur, quò tædium leues varietate.

Poteſt'ne alia ratione diſtingui modus ſcribendi? Ita. videlicet In Poëticum, Oratorium, Hiſtoricum. Poëtis maior ſermonis licen-

licentia eſt. Oratori nihil diſſonum, aut incongruum proferre licet. Hiſtoria medium ſeruat modum.

Sunt'ne aliæ diuerſæ formę loquẽdi? Etiam. nimirùm iucunda eſt Oratio, qua fabulas, res ſeu luſus puerorum, hortorum amœnitatem, pulchritudinem florum, ſonorum armoniam, aquas fluentes, aut vmbroſa nemora deſcribimus.

Floridum elocutionis genus eſt, quod crebris figuris compoſitum eſt, quæ perinde atque ipſi flores pulchritudine, & gratiâ animum delectant.

Obſcura eſt Oratio, quæ ita contexta eſt, vt ſenſus haud facilè percipi poſſit.

Modeſtum dicendi genus eſt, in quo humanitas eius, qui dicit, adeò appareat, vt vel minoris & ſe, & ſua, quàm oporteat: vel maioris aduerſarium, & rem eius, quàm ſit, facere videatur. Vt ſi neminem nos vnquam læſiſſe, aut accuſaſſe dicamus, nunc coactos venire in defenſionem proborum contra improbos. Huc pertinet Permiſſio, cum rem aliquam concedimus.

Varietas Orationis in quibus conſiſtit? In Rebus,

Rebus, & Verbis. In rebus, ſi diuerſis artium generibus opus exornes. Eiuſmodi ſunt Georg. Virgilij, & maximè circa initium; ibi enim vix vocem vnam inuenies, quæ non pertineat vel ad Aſtronomiam, vel ad Geographiam, vel ad Coſmographiam, vel ad Phyſicen, vel ad Hiſtoriam, vel ad fabulas. In verbis, cum in varijs vocum caſibus, generibus, ſpecie, figura, tempore, coniugationibus, modis, perſonis, numeris: item multiplici ſyllabarum numero, exitu, productione, accentu, adſpiratione, & quæ huiuſmodi ſunt, vtimur. Cum polyſyllabę dictiones ſequuntur eas, quæ paucioribus ſyllabis conſtant, & cum breuiores vel tempore, vel numero, longioribus interponuntur. Denique quando ab hoc caſu ad illum, ab illo verborum modo ad alium tranſuolat Oratio, neque modos ſolùm & tempora, ſed coniugationes quoque commutat.

Omne genus Orationis aut quietum eſt, aut forenſe. Cic. in Offic. ad Mar. fil. Quamobrem magnoperè te hortor, mi Cicero, vt non ſolùm Orationes meas, ſed hos etiã

de

de Philoſophia libros, qui ſe iam illis ferè æquarunt, ſtudioſè legas. Vis enim dicendi maior eſt in illis, ſed hoc quoque colendum eſt æquabile, & temperatum Orationis genus. Et id quidem nemini Græcorum video adhuc cõtigiſſe: vt idem vtroque in genere laboraret, ſequereturq́. & illud forenſe dicendi, & quietum hoc diſputandi genus. Iterum: Equidem & Platonem exiſtimo, ſi genus id forenſe dicēdi tractare voluiſſet, grauiſſimè, & copioſiſſimè potuiſſe dicere. Idem iudicat de Ariſt.& Iſocrat.Quietum,in quo non tanta nobis armonia, vel vi dicendi opus eſt.
Id duplex eſt,Philoſophicū,& Hiſtoricum. Philoſophicum, quo in rerum natura perueſtiganda aut moribus inſtruendis philoſophi vtuntur. Hiſtoricum, quo res geſtæ exponuntur.

In Philoſophis minùs cõcinna elocutio haud quaquam eſt contemnenda: illorum enim eſt cõponere potiùs mentem,quàm dictionem: curare ne quid aberret ratio, non Oratio: & muſas habere non in labris, ſed in animo. Cic. in Orat. Mollis eſt Oratio

Philo-

Digitized by Google

Philoſophorum, & vmbratilis, nec ſententijs, nec verbis inſtructa, nec iuncta numeris, ſed ſoluta liberiùs, nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutum, caſta, verecunda, virgo incorrupta quodammodò; itaque ſermo potiùs, quàm Oratio dicitur. Forenſe nominamus, quod circumſtantijs conſtat. Eius tria genera ſunt. Demonſtratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale.

De Memoria.

QVid eſt Memoria? Firma animi rerum, & verborum, diſpoſitioniſque perceptio.

Quotuplex eſt? Duplex, altera naturalis, altera artificioſa.

Quæ eſt Memoria naturalis? Quæ animis noſtris à natura inſita eſt, quæ ſine multa cogitatione nobis præſto eſt. vel Naturalis memoria eſt vis quædam animi ſedem habens in poſteriori cerebri parte.

Quæ eſt Artificioſa? Eadem ipſa naturalis præceptionibus quibuſdam firmata, vel quam Ars, & exercitatio auget, & confirmat.

Qui-

Quibus ex rebus conſtat Artificioſa Memoria? Locis, & Imaginibus, inquit Cic. Loci ſunt veluti tabulæ, in quibus rerum ſimulachra collocãtur. Quod genus ædes, intercolumnia, anguli, parietes. Imagines ſunt ſimilitudines earum rerum, quas meminiſſe volumus, vt equus, leo, canis, domus. Quæ ſi ordine libeat ediſcere, collocabimus in primo loco equum aliquem; in ſecundo leonem, in tertio canem, in quarto domum. Pari forma oratio in partes aliquot diuidi, ac per imaginum excogitationem edi ſci poteſt. Nam Artificioſa memoria duplex eſt. Verborum, cum ſingulis dictionibus imaginem tribuimus. Rerum, quando res aliqua ſeu particula orationis, vnâ dumtaxat effigie ſignatur. Memoria excolendo augetur. Sed de memoria artificiali pauca hæc ex Cic. ad Herenn. ſummatim collecta nobis ſufficiant, reliqua indè petantur, vt qui de hac ipſa lib. 3. copioſè tractat.

De

De Pronunciatione.

QVid eſt Pronunciatio, quæ à pleriſque (vt inquit Quint.) actio dicitur? Moderatio vocis, vultus, & geſtus cum gratia, & venuſtate.

Quot ſunt ſpecies Pronunciationis? Duæ: altera Naturalis, quę à Natura nobis data eſt: altera Artificioſa, quam diligentia & ſtudium auget, & perficit.

Quot partes habet Pronunciatio? Duas, figuram Vocis, & Corporis motum.

Figura vocis in quot partes diuiditur? In tres, Magnitudinem, Firmitudinem, & Mollitudinem.

Quid eſt Magnitudo vocis? Amplitudo Canora, quam natura maximè comparat, cura auget, & maximè conſeruat.

Quid eſt Firmitudo vocis? Perſeuerantia quædam decora, quam adauget, maximeque conſeruat Exercitatio declamationis.

Quid eſt Mollitudo vocis? Volubilitas quædam facilis, quam pro varietate Orationis commodè poſſimus flectere, nunc tollen-

do, nunc deprimendo, nunc æquabili voce pronunciando, quam facilitatem adipiſcimur ex declamationis exercitatione.

Quid faciendum eſt, vt firmam vocem ſeruemus? Quàm maximè ſedata, & depreſſa voce principia ſunt dicenda. Nam læduntur arteriæ, ſi antequam læni voce ſunt permulſæ, acri voce compleantur. Aut interuallis longioribus vti conueniet: recreatur enim vox Spiritu, & arteriæ reticendo acquieſcunt. Prætereà clamorem continuum remittere, & ad ſermonem tranſire oportet, ne ſemper clamitando vox defatigetur,

Mollitudo vocis in quot partes diuiditur? In tres, Sermonem, Contentionem, Amplificationem.

Quid eſt ſermo? Oratio remiſſa, & finitima quotidianæ locutioni, quę conuenit Procemio, Narrationi, & Diuiſioni.

Quid eſt Contentio? Oratio acris, & vehemens ad confirmandum, & confutandum accommodata. Vndè Confirmationi potiſſimùm, & Confutationi conuenit.

Quid eſt Amplificatio? Oratio, quæ aut ad

iracundiam ducit, aut ad miſericordiam trahit Auditoris animum, & hæc conuenit Perorationibus.

Sermo in quot partes diuiditur? In quatuor, Dignitatem, Demonſtrationem, Narrationem, & Iocationem.

Quid eſt Dignitas? Oratio cum grauitate, & vocis remiſſione, vt Cic. Pro A. Licinio Archia Poëta: Si quid eſt in me ingenij, Iudices, quod ſentio, quã ſit exiguum; aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum; aut ſi huiuſce rei ratio aliqua ab optimarum artium ſtudijs, & diſciplina profecta, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe: earum rerum omnium, vel in primis hic A. Licinius fructum à me repetere propè ſuo iure debet.

Quid eſt Demonſtratio? Oratio, quæ voce remiſsâ demonſtrat, quid fieri debeat, aut non debeat: vt Virg. Aen. 1.

Si genus humanũ, & mortalia tẽnitis arma,
At ſperare Deos memores fãdi, atq. nefandi.

Quid eſt Narratio? Expoſitio rerum, quæ fieri ſoleant pro qualitate perſonarum, non

ſolùm in Narratione, quę eſt ſecunda pars orationis, verùmetiam in deſcriptionibus, & narrationibus aliarum rerum: vt Virg. 1. Aen.

Illi ſe prædę accingunt, dapibuſque futuris.
Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudant.
Pars in fruſta ſecant, verubuſque trementia figunt.
Littore ahena locant alij, flammaſque miniſtrant.
Tum victu reuocant vires: fuſique per herbam
Implentur veteris Bacchi, pinguiſqe ferinæ.

Quid eſt Iocatio? Oratio, quæ ex aliqua re pudentem riſum, & liberalem mouere poteſt. Cic. contra Hortenſium, qui cum in iudicio Verris in deriſionem teſtium dixiſſet: Non intelligo hæc Enigmata. Cic. ſubridens ſubiunxit: Atqui debes, cum ſphingem æneam domi habeas. Acceperat enim Hortenſius à Verre ſphingem æneam magnæ pecuniæ.

Contentio in quot partes diuiditur? In duas, Continuationem, & Diſtributionem.

Quid eſt Continuatio? Oratio clamoſa, qua nul-

nullis ferè interuallis vtimur, ſed ſemper accceleramus, vt Cic. pro Q. Ligario: Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? Qui ſenſus erat armorum tuorum? Quæ tua mens? Oculi? Manus? Ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas? Deindè voce ſedata ſubiungit: Nimis vrgeo, commoueri videtur adoleſcens, ad me reuertar iiſdem armis fui.

Quid eſt Diſtributio? Oratio frequens cum raris interuallis, acri vociferatione pronuncianda: vt apud Virg. II. Aen.

Et procul, ò miſeri, quæ tanta inſania ciues?
Creditis auectos hoſtes? Aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaûm? ſic notus Vlyſſes?
Aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui:
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros,
Inſpectura domos, venturaque deſuper vrbi:
Aut aliquis latet error. Equo ne credite Teucri.

Amplificatio quot partes habet? Duas: Cohortationem, & Conqueſtionem.

Quid eſt Cohortatio? Oratio, quæ aliquod peccatum amplificans, Auditorem ad iracundiam incitat, vt apud Virg. in IV. Aen. vbi Iarbas Iouem Patrem alloquitur.

Fœmina, quæ noſtris errans in finibus vrbem.

(Incluſiuè vſque ad)

Quippe tuis ferimus, famamque fouemus inanem.

Quid eſt Conquæſtio? Oratio, quæ incommodorum amplificatione Audientium animum ad miſericordiam inducit, vt Sinon apud Virg. in 2. Aeneidos.

Heu, quæ nunc tellus, quæ me, inquit, æquora poſsunt. Vſque ad

Dardanidæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt.

Quid prætereà ſeruandum eſt in mollitudine vocis? Vt pro varietate rerum, de quibus in oratione agit Orator, varietate vtatur, itaut quædam ſtrenuè, quædam acriter, quædam clementer, quædam mœſtè, quædam hilariter pronuncientur.

Quid deniq; ſeruandum eſt in ipſa Pronunciatione? Vt quemadmodùm Periodos cōſtat

ſtat inciſis, quæ notantur hac forma ſemicirculi (,),& membris,quæ ſignantur duobus huiuſcemodi interpũctis (:)& ipſa Periodus clauditur vnico hoc puncto (.) ſic vocis ſuſpenſione proferatur, diſtinguatur, & claudatur hoc modo, Cic.pro l.Manilia. Quanquàm mihi ſemper frequens conſpectus veſter, multò iucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ, prohibuerunt.

De Motu corporis.

QVid eſt Motus? Geſtus corporis,& quædam moderatio vultus, quæ probabiliora reddit ea, quæ pronunciantur. Quid potiſſimùm ſeruandum eſt in ipſo corporis motu? Vt correſpondeat rebus, de quibus in Oratione agitur, ita vt pro varietate rerum, nunc ſublato capite, nunc demiſſo, nunc ad Auditores directo,quandoque ad dexteram, quandoque ad ſiniſtram

ſtram verſo, interdum brachio celeri, nunc lento, interdum acri, nunc hilari aſpectu, vt oportet.

Quę eſt optima actio? Quę voce, & geſtu omnes affectus ſic repræſentat, vt omnia ex animo agi videantur. Hinc M. Cic. vnam in dicendo actionem dominari putauit. Et Aeſchines (vt S. Hieronym. ad S. Paulinum tom. 3. ep. CIII.) Cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demoſthenis Oratio, quam aduerſus eum habuerat, mirantibus cunctis, atque laudantibus, ſuſpirans, ait: Quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam ſua verba reſonantem?

Hæc ſunt, quæ breuiter pro temporis anguſtijs de Rhetorica habui, & ea quidem, quæ mihi magis familiaria videbantur, proindeq; huic noſtro compendiolo adijcerentur. Reliqua, Franciſce Abbas optime, apud Ciceronem, & Quintilianum, alioſq; huius artis Scriptores, Diomedem præcipuè Grammaticū requiras; ſimulq; interim hoc noſtrum qualecumque paruum opuſculum longis elucrubratum itineribus boni conſulito.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS.

A

ABſceſſio 199
Abuſio figura Catachreſis 164
Accuſatio 9
Adiuncta negotio 9
Adiunctio 144
Adnominatio, vel Annominatio 135
Aenigma 170
Aetiologia 183
Affectio 86
Allegoria 168. 183
Allegorica Explanatio 177
Ambiguum 56
Ambitus 236
Anagogia 236
Analogia 179
Antiphraſis, ita corrigatur 173
Antitheton 173
Antonomaſia 218
Approbatio 154
Argumentum 48
Argumentum à maiori, à minori, à pari, à ſimili, à diſſimili, à contrario, à diſparato, à genere, à parte, ab euentu 48.90.et ſeqq.
Argumentationes in Genere Deliberatiuo 82.84.90
Articulus 131
Aſtiſmus 172
Attributa negotijs 87
Auditores beneuoli, dociles, attenti 12

B

BArbariſmus 120
Brachylogia 234
Breuitas ibidem

Ca-

C

CAſus	87
Catachreſis	164
Cauſa	5
Characteriſmus	206
Charientiſmus	173
Chronographia	211
Circuitio	159
Circuitus	236
Circumlocutio	159
Circumſcriptio	236
Collatio	45.220
Colon	237
Comma	238
Commoratio	218
Commutatio	147
Comparatio	201
Complexio	20
Comprehenſio	236
Compoſitio	121
Conceſſio criminis per neceſſitatem, per imprudentiam, & per fortunam	63.64
Concluſio	112.152
Concluſiones in cauſis deliberatiuis	84
Conduplicatio	145
Conformatio	231
Confutatio	11.106
Congeries	201
Coniunctio	144
Conſecutio	49
Conſecuta negotium	93
Conſilium	87
Cõſtitutio quadruplex & ſeqq.	35
Cõſtitutio generalis	58.60
Conſultatio	75
Contentio	125.218
Continentia cum ipſo negotio	88
Continuatio	132
Contrapoſitum	219
Contrarium	129
Conuerſio	123
Correctio	141

D

DEclamatio, & Declamator	5
Defenſio	9
Definitio	56.139
Deliberatiuum Genus	8
Demonſtratiuum	7
Denominatio	158
Deliberationes	76
Demonſtratio	235
Deprecatio	66
Deſcriptio	203

Diale-

Dialectica 5
Dialogiſmus 209.228
Dialogus 228
Differentia inter Elocutionem, & Eloquentiam 119
Diminutio, vel Imminutio 199
Diſceptatio legitimæ conſtitutionis & deſcripto, ac ſentẽtia 53
Diſceſſio 199
Diſiunctio 143
Diſpoſitio 10.117
Diſputatio inter accuſatorem, & defenſorem 42
Diſſolutio 151
Diſſuaſio 8
Diſtributio 195
Diuinarum expoſitionum genera 181
Diuiſio 11.32.211
Dubitatio 148

E

Effictio, ſiue Proſopopæia, ſic corrige 226
Elegantia 119
Elegantiæ partes duæ 120
Elocutio 10.118
Elocutionis virtutes tres 119
Eloquentia 119
Emphaſis 232
Enumeratio 112
Epilogus 112
Epimone 218
Epithetorum fines quatuor 157
Ethopœia 207.227
Euidentia 235
Excellentia 161
Exclamatio 126
Exemplum 223
Exergaſia 235
Exordium 11
Exordia pro generibus cauſarum, nempè honeſto, admirabili, humili, ancipiti, obſcuro 14
Exordiorum vitia 26
Exornationes decem 153
Exornationes verborum, & ſententiarum 122.199
Expeditio 149
Expolitio 213

Exte-

Extenuatio 199
Exuperantia 161

F

FActum 87
Fictio 154
Fortitudo 78
Fortuna 86
Frequentatio 212

G

GEnera Exordiorum 13
Genera cauſarum 7. 12
Generis partes 7
Genus Deliberatiuum 75
Geſta in ipſo negotio 88
Gradatio 138

H]

HAbitus 86
Hiſtoria 183
Hypotheſis 6
Hyperbole 160

I

ICon 226
Idolopœia 231
Imago 225
Incrementum 200
Indignatio 113
Inductio 99
Inſinuatio 13. 21
Intellectio 62
Interrogatio 126
Interpretatio 146
Inuerſio 162
Ironia 172
Iudiciale genus 9
Iuſtitia 78

L

LEges contrariæ 55
Licentia 195
Loci communes 113
Loci octo, ex quibus Pronominationis trahitur vſus 155
Locus 7

M

MAteria Generis Demonſtratiui 67
Materia amplificandi per locos communes 113
Membrum 130
Membrum Compar 133
Memoria 10. 271
Metaphora 164
Metonymia 158

Mi-

Mimeſis 210
Modi captandæ beneuolentiæ 17
Motus corporis 279
Myctteriſmus 173

N

NArratio 11.28.31.83
Natura 85
Nominatio 227
Numerus Oratorius 241

O

OBticentia 151
Occupatio 142
Oratio 87
Orationis pro l. Manilia
Argumentum
Titulus
Status coniecturalis
Genus
Exordium
Oratio
Diuiſio
Confirmatio
Peroratio
Elocutio
Initium
} 147. *et ſeqq*
Orator 4. 5
Oratorius numerus 241

P

PArabolę 220
Paradigma 223
Parœmia 171
Parrheſia 197
Pathopœia 209
Periphraſis 159. 227
Permiſſio 147
Permutatio 154. 168
Peroratio 74. 112
Periodus 236
Phantaſia 235
Præciſio 151
Probabile 95
Pronominatio 154
Pronunciatio 10. 273
Proœmium 12. 13. 68. 83
Proſopographia 206
Proſopopœia 205. 226
Prouerbium 171

Q

QVæſtio grecè theſis 5

R

RAtiocinatio, & eius partes 58. 99. 101. 127
Redundantia 161

Remo-

Remotio criminis 65
Repetitio 122
Repræſentatio 235
Reticentia 151
Rhetor 5
Rhethorica 3. 9

S

Sarcaſmus 171
Senſus hiſtoricus, & myſticus 174
Senſus Metaphoricus 174
Sententia 128
Sermocinatio 209. 228.
Significatio 232
Signum 46
Similitudo 220
Similiter cadens 134
Solœciſmus 120
Socrates, & Socratici inductione vtebãtur 100
Studium 86
Suaſio 8
Subiectio, ſiue Enumeratio 136
Superiectio 160
Superlatio 160
Synecdoche 162
Syntomia 234

T

Theſis 5. 78
Topographia 210
Topotheſia 211
Traductio 124
Tranſgreſſio 160
Tranſitio, ſiue Tranſgreſſio 140
Translatio 57. 61. 164
Tranſnominatio 158
Tropologia 178

V

Verba vſitata, & propria 120
Vituperatio 7

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ſtram verſo, interdum brachio celeri, nunc lento, interdum acri, nunc hilari aſpectu, vt oportet.

Quę eſt optima actio? Quę voce, & geſtu omnes affectus ſic repræſentat, vt omnia ex animo agi videantur. Hinc M.Cic. vnam in dicendo actionem dominari putauit. Et Aeſchines (vt S.Hieronym. ad S.Paulinum tom.3. ep.CIII.) Cum Rhodi exularet, & iegeretur illa Demoſthenis Oratio, quam aduerſus eum habuerat, mirantibus cunctis, atque laudantibus, ſuſpirans, ait: Quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam ſua verba reſonantem?

Hæc ſunt, quæ breuiter pro temporis anguſtijs de Rhetorica habui, & ea quidem, quæ mihi magis familiaria videbantur, proindeq; huic noſtro compendiolo adijcerentur. Reliqua, Franciſce Abbas optime, apud Ciceronem, & Quintilianum, alioſq; huius artis Scriptores, Diomedem præcipuè Grammaticū requiras; ſimulq; interim hoc noſtrum qualecumque paruum opuſculum longis elucrubratum itineribus boni conſulito.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS.

A

ABſceſſio 199
Abuſio figura Catachreſis 164
Accuſatio 9
Adiuncta negotio 9
Adiunctio 144
Adnominatio, vel Annominatio 135
Aenigma 170
Aetiologia 183
Affectio 86
Allegoria 168. 183
Allegorica Explanatio 177
Ambiguum. 56
Ambitus 236
Anagogia 236
Analogia 179
Antiphraſis, ita corrigatur 173
Antitheton 173
Antonomaſia 218
Approbatio 154
Argumentum 48
Argumentum à maiori, à minori, à pari, à ſimili, à diſſimili, à contrario, à diſparato, à genere, à parte, ab euentu. 48.90.et ſeqq.
Argumentationes in Genere Deliberatiuo 82.84.90
Articulus 131
Aſtiſmus 172
Attributa negotijs 87
Auditores beneuoli, dociles, attenti 12

B

BArbariſmus 120
Brachylogia 234
Breuitas ibidem

Ca

C

Caſus 87
Catachreſis 164
Cauſa 5
Characteriſmus 206
Charientiſmus 173
Chronographia 211
Circuitio 159
Circuitus 236
Circumlocutio 159
Circumſcriptio 236
Collatio 45.220
Colon 237
Comma 238
Commoratio 218
Commutatio 147
Comparatio 201
Complexio 20
Comprehenſio 236
Compoſitio 121
Conceſſio criminis per neceſſitatem, per imprudentiam, & per fortunam 63.64
Concluſio 112.152
Concluſiones in cauſis deliberatiuis 84
Conduplicatio 145
Conformatio 231
Confutatio 11.106
Congeries 201
Coniunctio 144
Conſecutio 49
Conſecuta negotium 93
Conſilium 87
Cōſtitutio quadruplex & ſeqq. 35
Cōſtitutio generalis 58.60
Conſultatio 75
Contentio 125.218
Continentia cum ipſo negotio 88
Continuatio 132
Contrapoſitum 219
Contrarium 129
Conuerſio 123
Correctio 141

D

Declamatio, & Declamator 5
Defenſio 9
Definitio 56.139
Deliberatiuum Genus 8
Demonſtratiuum 7
Denominatio 158
Deliberationes 76
Demonſtratio 235
Deprecatio 66
Deſcriptio 203

Diale-

Dialectica 5
Dialogiſmus 209.228
Dialogus 228
Differentia inter Elocutionem, & Eloquentiam 119
Diminutio, vel Imminutio 199
Diſceptatio legitimæ conſtitutionis & deſcripto, ac ſentētia 53
Diſceſſio 199
Diſiunctio 143
Diſpoſitio 10.117
Diſputatio inter accuſatorem, & defenſorem 42
Diſſolutio 151
Diſſuaſio 8
Diſtributio 195
Diuinarum expoſitionum genera 181
Diuiſio 11.32.211
Dubitatio 148

E

Effictio, ſiue Proſopopæia, ſic corrige 226
Elegantia 119
Elegantiæ partes duæ 120
Elocutio 10.118
Elocutionis virtutes tres 119
Eloquentia 119
Emphaſis 232
Enumeratio 112
Epilogus 112
Epimone 218
Epithetorum fines quatuor 157
Ethopœia 207.227
Euidentia 235
Excellentia 161
Exclamatio 126
Exemplum 223
Exergaſia 235
Exordium 11
Exordia pro generibus cauſarum, nempè honeſto, admirabili, humili, ancipiti, obſcuro 14
Exordiorum vitia 26
Exornationes decem 153
Exornationes verborum, & ſententiarum 122.199
Expeditio 149
Expolitio 213

Exte-

INDEX

Extenuatio 199
Exuperantia 161

F

FActum 87
Fictio 154
Fortitudo 78
Fortuna 86
Frequentatio 212

G

GEnera Exordiorum 13
Genera cauſarum 7. 12
Generis partes 7
Genus Deliberatiuum 75
Geſta in ipſo negotio 88
Gradatio 138

H

HAbitus 86
Hiſtoria 183
Hypotheſis 6
Hyperbole 160

I

ICon 226
Idolopœia 231
Imago 225
Incrementum 200
Indignatio 113
Inductio 99
Inſinuatio 13. 21
Intellectio 62
Interrogatio 126
Interpretatio 146
Inuerſio 162
Ironia 172
Iudiciale genus 9
Iuſtitia 78

L

LEges contrariæ 55
Licentia 195
Loci communes 113
Loci octo, ex quibus Pronominationis trahitur vſus 155
Locus 7

M

MAteria Generis Demonſtratiui 67
Materia amplificandi per locos communes 113
Membrum 130
Membrum Compar 133
Memoria 10. 271
Metaphora 164
Metonymia 158

Mi-

Mimeſis 210
Modi captandæ beneuolentiæ 17
Motus corporis 279
Myſteriſmus 173

N

Narratio 11.28.31.83
Natura 85
Nominatio 227
Numerus Oratorius 241

O

Obticentia 151
Occupatio 142
Oratio 87
Orationis pro L. Manilia, Argumentum, Titulus, Status coniecturalis, Genus, Exordium, Oratio, Diuiſio, Confirmatio, Peroratio, Elocutio, Initium 147. et ſeqq
Orator 4. 5
Oratorius numerus 241

P

Parabole 220
Paradigma 223
Paræmia 171
Parrheſia 197
Pathopœia 209
Periphraſis 159. 227
Permiſſio 147
Permutatio 154. 168
Peroratio 74. 112
Periodus 236
Phantaſia 235
Præciſio 151
Probabile 95
Pronominatio 154
Pronunciatio 10. 273
Proœmium 12. 13. 68. 83
Proſopographia 206
Proſopopœia 205. 226
Prouerbium 171

Q

Quæſtio grecè theſis 5

R

Ratiocinatio, & eius partes 58. 99. 101. 127
Redundantia 161

Remo-

Digitized by Google

Remotio criminis	65	*Subiectio, ſiue Enumeratio*	136
Repetitio	122	*Superiectio*	160
Repræſentatio	235	*Superlatio*	160
Reticentia	151	*Synecdoche*	162
Rhetor	5	*Syntomia*	134
Rhethorica	3. 9		

S		T	
Sarcaſmus	171	*Heſis*	5. 78
Senſus hiſtoricus, & myſticus	174	*Topographia*	210
Senſus Metaphoricus	174	*Topotheſia*	211
Sententia	128	*Traductio*	124
Sermocinatio	209. 228.	*Tranſgreſſio*	160
Significatio	232	*Tranſitio, ſiue Tranſgreſſio*	140
Signum	46	*Translatio*	57. 61. 164
Similitudo	220	*Tranſnominatio*	158
Similiter cadens	134	*Tropologia*	178
Solœciſmus	120	V	
Socrates, & Socratici inductione vtebātur	100	*Verba vſitata, & propria*	120
Studium	86	*Vituperatio*	7
Suaſio	8		

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google